



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

### **Usage guidelines**

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

### **About Google Book Search**

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>

65007  
**SCHULTZE**


**De naturali obligatione pupillorum**

HARVARD LAW LIBRARY



3 2044 097 746 945

HARVARD  
LAW  
LIBRARY



*Exorn. Franc. X. Storing in Gießen  
mit Capitulat. G. J. J. J.*

DE

*Fr. Aug.*

# NATURALI PUPILLORUM

OBLIGATIONE,

QUI SINE TUTORIS AUCTORITATE CONTRAXERUNT,  
SECUNDUM PRINCIPIA JURIS ROMANI.

## DISSERTATIO INAUGURALIS


QUAM SCRIPSIT

Richardus Sigismundus Schultze.

GRYPHAR.

TYPIS FRID. GUIL. KUNIKE, REG. ACAD. TYPOGR.

MDCCCLIII.



DE  
**NATURALI OBLIGATIONE**  
PUPILLORUM,  
QUI SINE TUTORIS AUCTORITATE CONTRAXERUNT,  
SECUNDUM PRINCIPIA JURIS ROMANI.

DISSERTATIO  
INAUGURALIS JURIDICA,  
QUAM  
SENSU ET AUCTORITATE  
**ILLUSTRISSIMI JURECONSULTORUM ORDINIS**

IN  
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE  
GRYPHISWALDENSIS

AD SUMMOS  
**IN JURE UTROQUE HONORES**  
RITE CAPESSENDOS  
DIE XXX MENSIS DECEMBRIS A. MDCCCLIII  
PUBLICICE DEFENDET

AUCTOR  
**RICHARDUS SIGISMUNDUS SCHULTZE**  
GRYPHISWALDENSIS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:  
HUGO PATZIG, AUSCULT.  
HERMANNUS WÆDEL, PHIL. CAND.  
AUG. SIG. SCHULTZE, JUR. ET CAM. STUD.

GRYPHISWALD,  
TYPIS FRID. GUIL. KUNIKE, REG. ACAD. TYPOGR.

+

914.3  
SCHUL  
1853

*Rec. Sept. 1, 1899.*

**VIRO ILLUSTRISSIMO, DOCTISSIMO,**

**PRAECEPTORI DILECTISSIMO,**

**C. J. A. MITTERMAIER,**

**JURIS UTRIVSQUE DOCTORI,**

**JUR. CRIM. PROFESSORI PUBL. ORD., FACULTATIS JURECONSULTORUM  
HEIDELBERG. SENIORI ET ORDINARIO, MAGNO DUCI BADARUM A CONSI-  
LIIS INTIMIS, ORDINUM LEON. ZARING. COMMENDATORI, LEGIONIS HO-  
NORARIAE NEC NON ST. MAURITII ET LAZARI EQUITI, SOCIET. DOCT.  
COMPL. SODALI, etc. etc.**

**FAUTORI BENEVOLENTISSIMO,**

**DE SE SUISQUE STUDIIS MERITISSIMO**



Rec. Sept. 1, 1899.

**PATRI OPTIMO, DILECTISSIMO**

**CAR. AUG. SIGISMUNDO SCHULTZE,**

**MEDICINAE DOCTORI,**

**ANATOM. ET PHYSIOL. PROFESSORI PUBL. ORD., THEATRI AC MUSEI  
ANATOM. GRYPH. DIRECTORI, COLLEGII SUPREMI EXAM. MED. HAB.  
CONSTITUTI SOCIO, AQUIL. RUBR. ET LEON. ZARING. ORDINUM EQUITI,  
SOCIET. DOCT. COMPL. SODALI ETC. ETC.**

**NEC NON**

**PATRI OPTIMO, DILECTISSIMO**

**CAR. AUG. SIGISMUNDO SCHULTZE,**

**MEDICINAE DOCTORI,**

**ANATOM. ET PHYSIOL. PROFESSORI PUBL. ORD., THEATRI AC MUSEI  
ANATOM. GRYPH. DIRECTORI, COLLEGII SUPREMI EXAM. MED. HAB.  
CONSTITUTI SOCIO, AQUIL. RUBR. ET LEON. ZARING. ORDINUM EQUITI,  
SOCIET. DOCT. COMPL. SODALI ETC. ETC.**

**NEC NON**

**PATRI OPTIMO, DILECTISSIMO**

**CAR. AUG. SIGISMUNDO SCHULTZE,**

**MEDICINAE DOCTORI,**

**ANATOM. ET PHYSIOL. PROFESSORI PUBL. ORD., THEATRI AC MUSEI**

**ANATOM. GRYPH. DIRECTORI, COLLEGII SUPREMI EXAM. MED. HAB.**

**CONSTITUTI SOCIO, AQUIL. RUBR. ET LEON. ZARING. ORDINUM EQUITI,**

**SOCIET. DOCT. COMPL. SODALI ETC. ETC.**

Si pupillus sine tutoris auctoritate Stichum promittat, et fidejussorem dedit, servus autem post moram a pupillo factam decedat, nec fidejussor erit propter pupilli moram obligatus; nulla enim intelligitur mora ibi fieri, ubi nulla petitio est; *esse autem fidejussorem obligatum ad hoc, ut vivo homine conveniatur, vel ex mora sua postea.*

Papinianus lib. XXVIII. Quaestionum<sup>11)</sup>:

Aditio hereditatis — aliquando pro solutione cedit, si forte creditor, qui pupillo sine tutoris auctoritate nummos crediderat, heres ei existit; non enim quanto locupletior pupillus factus est, consequeretur, sed *in solidum creditum suum ex hereditate retinet.*

Idem Papinianus lib. XVIII. Quaest. 12) haec habet: (Legatum est:) Heres meus Titio dato, quod mihi Sejus debet; si Sejus pupillus sine tutoris auctoritate nummos accepisset, nec locupletior factus esset, et petitor ad praesens debitum verba retulit, quia nihil ejus debet, nullius momenti legatum erit; quod si verbo debiti *naturalem obligationem et futuram solutionem* cogitavit, interim nihil Titius petet, quasi tacite conditio inserta sit, non secus ac si ita dixisset: Titio dato, quod pupillus solverit, vel si legasset: quod ex Arethusa natum erit, vel: fructus, qui in illo fundo nascentur. Contrarium non est, quod, si medio tempore legatarius moriatur, et postea partus edatur, fructus perveniant, pecuniam pupillus exsolvat, heres legatarii petitionem habet; namque dies legati, cui conditio non adscribitur, quamvis extrinsecus expectanda sit, cedit.

Denique Pomponius lib. XVIII. Epistol.<sup>13)</sup> tali modo: Creditore, qui de mutua pecunia contra pupillum

<sup>11)</sup> l. 98. §. 2. de solutt. (46. 3.).

<sup>12)</sup> l. 25. §. 1. quando dies legati (36. 2.).

<sup>13)</sup> l. 42. pr. de jurejur. (12. 2.).

contendebat, jusjurandum deferente pupillus juravit, se dare non oportere; eandem pecuniam a fidejussore ejus petit; an excludendus sit exceptione jurisjurandi? — Si controversia inter creditorem et pupillum fuerit, an omnino pecuniam mutuam accepisset, et convenerit, ut ab omni conditione discederetur, si pupillus jurasset, isque juraverit, se dare non oportere, *naturalis obligatio hac pactione tolletur, et soluta pecunia repeti poterit*; sin vero creditor quidem se mutuam dedisse contendebat, pupillus autem hoc solo defendebatur, quod tutor ejus non intervenisset, et hoc tale jusjurandum interpositum est, *hoc casu fidejussorem praetor non tuebitur*.

## §. 2.

Haec fere sunt illa Romanorum Ictorum dicta, in quibus praecipue fundata est quaestio nostra, utrum naturaliter obligetur pupillus sine tutore contrahens, an non. Hanc vero quaestionem priusquam tractamus, praemittenda videntur esse pauca de impuberum agendi facultate, ut fines liceat perscribere, intra quos de naturali pupillorum obligatione controversia sit.

Primum bene tenendum est, in omnes eos, qui adhuc in patria potestate sunt, nullo modo cadere quaestionem nostram. Namque filii familias, quum primum ad pubertatem pervenerunt, quin proinde ac si patresfamilias essent, obligari possint, dubitari nequit<sup>1)</sup>, nec vero magis in dubio est, filiosfamilias, quoad impuberes degant, omnino non obligari, ne auctore quidem patre<sup>2)</sup>. Ad eos igitur solos impuberes animum ut convertamus opus est, qui alieno juri non sunt subjecti; sed ne de his quidem omnibus quaeri-

---

<sup>1)</sup> l. 57. de judic. (5. 1.). l. 44. 45. de peculio (15. 1.). l. 39. de O. et A. (44. 7.). l. 141. §. 2. de V. O. (45. 1.).

<sup>2)</sup> l. 141. §. 2. de V. O. (45. 1.).



tur, an naturaliter obligentur, quum nonnullorum ex iis ne naturalem quidem obligationem esse, alios vero etiam tutore haud adhibito civiliter obligari, ita ut actio in eos competat, inter omnes constet.

Ad infantes enim nullo modo spectat haec quaestio, quippe qui nullum negotium agere possint, sive quo ipsi obligentur, sive quo alium sibi obligent, quum non intelligant, quid dicatur quidve agatur<sup>3)</sup>, quo fit, ut ipsi tutore infantis nomine negotium agendum sit<sup>4)</sup>.

Pupillos vero qui fari possunt i. e. infantia majores non aequae omne negotium agere leges vetant, sed meliorem quidem suam conditionem facere iis licet etiam sine tutoris auctoritate, deteriorem vero non aliter, quam tutore auctore<sup>5)</sup>. Namque etiam post septimum annum non tam firmum est eorum iudicium, ut sese ipsos possint defendere ac res suae ne damnum capiant cavere. Tamen obligari possunt pupilli etiam sine tutoris auctoritate et conveniri in id quod debent, nempe ex delicto<sup>6)</sup> et ubi ex re

---

<sup>3)</sup> §. 10. J. de inut. stip. (3. 19.). Gaj. III. 109. l. 1. §. 13. de O. et A. (44. 7.). l. 6. rem pupilli (46. 6.). l. 6. de A. vel O. H. (29. 2.).

<sup>4)</sup> Auctoritatem enim pro infante interponi non posse apparet, quippe quae pro eo tantum interponi possit, qui ipse agit, verum imperfecte; infans autem omnino agere non potest. Sola in acquirenda possessione in legibus pro infante auctoritatem interponi utilitatis causa permissum esse dicitur. cf. l. 32. §. 2. de acqu. poss. (41. 2.), cujus fragmenti de verbis cf. Savigny, das Recht des Besitzes 6. Aufl. p. 286 sqq. Puchta, Ueber den Besitzerwerb eines Kindes im Rheinischen Museum für Jurisprudenz Bd. V. p. 36 sqq. Vangerov, Pandecten Bd. I. 6. Aufl. 1851. §. 204. Anmerk. 1. Denzinger, Zur Lehre vom Besitzerwerb der Kinder nach röm. Recht im Archiv für die civilist. Praxis Bd. XXXI. p. 268 sqq. praes. p. 278 sqq.

<sup>5)</sup> pr. J. de auct. tut. (1. 21.). l. 28. pr. de pactis (2. 14.).

<sup>6)</sup> Delinquere autem tum demum possunt impuberes, quum doli capaces i. e. proximi pubertates sunt, quod an sint, in singulis speciebus in iudicis arbitrium cadit. cf. Savigny, System III. p. 3, sqq. — cf. l. 5. §. 2. ad l. Aquil. (9. 2.). l. 111 pr. de R. J. (50. 17.). l. 23. de furt. (47. 2.). l. 2. §. 19. vi bon. rapt. (47. 8.). l. 3.

actio venit<sup>7)</sup> i. e. si, ut oriatur obligatio, justus pupilli consensus et contrahendi animus non exposcitur, sed si ex ipsis factis suis vel alius cujusdam, ex ipso negotio obligatur pupillus, verbi gratia si quis pro eo negotia gesserit, si servus ejus aliud animal pauperiem fecerit, si quid ipse aut extraneus ex domo sua effuderit dejeceritve etc.<sup>8)</sup> Quae quum ita sint, ad has pupillorum obligationes quaestionem nostram non spectare apparet, sed tantum ad eas, quae, ut perfectae sint, justum contrahentium consensum exposcunt i. e. ad contractus. Verum etiam quum locupletior factus est pupillus ex negotio, quod sine tutore cum alio contraxit, obligari eum non solum naturaliter, sed conveniri posse, nemo est, qui dubitet, nam hoc natura aequum est, Pomponius<sup>9)</sup> ait, neminem cum alterius detrimento fieri locupletio<sup>10)</sup>. Quatenus autem locupletior

§. 1. de sepul. viol. (47. 12.). l. 13. §. 1. de dolo malo (4. 3.). l. 4. §. 26. de dol. exc. (44. 4.) etc.

7) l. 46. de O. et A. (44. 7.).

8) Inde tenebitur pupillus actione communi dividundi [l. 29. pr. com. div. (10. 3.). l. 33. pro socio (17. 2.). l. 46. de O. et A. (44. 7.)], actione ad exhibendum [l. 1. §. 2. l. 2. commod. (13. 6.)], actionibus noxalibus [l. 2. §. 19. vi bon. rapt. (47. 8.)], actione tributoria [l. 3. §. 2. de trib. act. (14. 4.)], actione depositi [l. 1. §. 15. depositi (16. 3.)] etc.

9) l. 14. de cond. indeb. (12. 6.). l. 206. de R. J. (50. 17.).

10) Compluribus legibus [l. 1. pr. l. 5. pr. de auct. tut. (26. 8.). l. 3. pr. commodati (13. 6.). l. 3. §. 4. l. 34. de neg. gest. (3. 5.)] haec actio in id, quod pervenit ad pupillum, ex rescripto D. Pii dari dicitur. Quum omnes adhuc Icti consentirent, hoc demum rescripto actionem introductam esse, ante Pium igitur pupillos ne in id quidem, quod ad eos pervenit, conveniri potuisse, Savinius (Obligationenrecht Bd. I. p. 64.) et ex allatis Pomponii verbis (l. 14. de cond. indeb.) et ex ipsa conditionum et rescriptorum natura colligit, etiam in vetere jure ante illud rescriptum actionem datam esse creditori in pupillum ex negotio locupletio<sup>10)</sup> factum, atque imperatorem Pium nihil aliud fecisse, nisi ut judicum memoriae denuo inculcaret, actionem non esse denegandam. Hoc autem vereor ne non possit probari, quum tam distincte ac

non est factus, etiam citra in integrum restitutionem<sup>11)</sup> non tenetur pupillus<sup>12)</sup>, non obligatur<sup>13)</sup>, nulla petitio est<sup>14)</sup>, nihil actum est<sup>15)</sup>, nihil debet<sup>16)</sup>: at

tam expresse in legg. citt. dictum sit, *post rescriptum D. Pii* conveniri posse pupillum, ut dubitari nequeat, quin ante illud rescriptum creditori actio non data sit. Huic non obstat, quod Pomponius ait, naturali rationi non esse conveniens, cum alterius detrimento aliquem fieri locupletiores, quae naturalis ratio jam ante illud rescriptum fuit. Naturaliter enim semper obligatus fuit pupillus absque tutore contrahens locupletior factus et solummodo actio a D. Pio introducta est.

Locupletior ex negotio factus esse habebitur pupillus non solum, si quid ex nummis numeratis apud eum extet, verum etiam si rem necessariam vel utilem sibi emerit, si quominus impensas faciat, impeditus sit etc. Nam hoc ipso locupletior est, quod non est pauperior factus, ut ait Marcianus in l. 47. §. 1. de solutt. (46. 3.). Quantum autem pupillus locupletior factus sit, quaeritur tempore litis contestatae [l. 37. pr. de neg. gest. (3. 5.) cf. l. 34. pr. de minor. (4. 4.). l. 4. de except. (44. 1.). l. 47. pr. de solutt. (46. 3.)]. Actio, quae alteri in pupillum competit, non est *directa ex negotio*, sed utilis, quum jure non teneatur pupillus [l. 1. pr. de auct. tut. (26. 8.). cf. l. 1. §. 2. l. 3. pr. commodati (13. 6.). l. 44. §. 2. de liber. causa (40. 12.). l. 66. de solutt. (46. 3.)].

<sup>11)</sup> l. 16. pr. de minor. (4. 4.) [Ulpianus]: In causae cognitione etiam hoc versabitur, num forte alia actio possit competere citra in integrum restitutionem. Nam si communi auxilio et mero jure munitus sit, non debet ei tribui extraordinarium auxilium, utputa *cum pupillo contractum est sine tutoris auctoritate, nec locupletior factus est.*

<sup>12)</sup> l. 33. pro socio (17. 2.). l. 7. §. 1. de resc. vend. (18. 5.). l. 1. pr. de auct. tut. (26. 8.). l. 1. §. 2. commod. (13. 6.).

<sup>13)</sup> Gaj. III. 119. pr. J. de auct. tut. l. 21. l. 1. §. 2. de constit. pecun. (13. 5.) l. 9. de inst. act. (14. 3.). l. 8. §. 15. ad Sc. Vellej. (16. 1.). l. 5. pr. §. 1. l. 9. pr. de auct. tut. (26. 8.). l. 8. pr. de A. vel O. H. (29. 2.). l. 43. de O. et A. (44. 7.). l. 66. de solutt. (46. 3.). l. 3. C. de inut. stipul. (8. 39.).

<sup>14)</sup> l. 127. de V. O. (45. 1.).

<sup>15)</sup> l. 7. §. 1. de resc. vendit. (18. 5.).

<sup>16)</sup> l. 25. §. 1. quando dies leg. ced. (36. 2.).

utrum naturaliter sit obligatus, an omnino nulla ex contractibus ejus existat obligatio, hoc est, quod quaeritur.

### §. 3.

Quaestio igitur est, an naturaliter sit obligatus pupillus. Sed quid est naturalis obligatio? Hanc ut brevi definiam, ante omnia videtur opus esse.

Inspicientibus nobis jus Romanum privatum duo principia occurrunt, quae maximi momenti fuisse constat ad excolendum jus atque confirmandum, jus enim civile, i. e. jus proprium Romanorum, fundatum imprimis legibus XII. tabularum<sup>1)</sup>, strenuam ac severam indolem prae se ferens, et jus gentium seu naturale, i. e. jus exterarum nationum, quod Romani in commercio cum iis cognoscebant, aequitate et naturali ratione magis consistens, quam stricti juris principiis<sup>1)</sup>.

Huc spectat, quod interest inter dominium ex jure Quiritium et bonitarium, ut ajunt, inter hereditatem et bonorum possessionem, inter legatum et fideicommissum, inter agnationem et cognationem, inter matrimonium juris

---

<sup>1)</sup> Hoc modo paene omnes veteres Icti jus Romanorum dividunt, praecipue Gajus [l. 1. cf. l. 9. de J. et J. (l. 1)], quamvis Ulpianus [ll. 1. 4. 6. de J. et J. (l. 1.)], quem Tryphonius sequitur [l. 64. de cond. indeb. (12. 6)], tripertitum omne jus esse dicat, praeter jus civile et jus gentium tertium juris principium, jus naturale, i. e. quod natura omnia animalia docuit, ponens, quae partitio haud raro a doctoribus probata est. Sagacissime vero Savinius (System Bd. I. Beilage I.) et omne dubium refutans, consentientibus omnibus recentioribus Ictis, jus naturale idem esse demonstravit, quod jus gentium et Ulpiani in tres partes divisionem subtilitatem esse et dialecticus quasi ludus. De jure gentium cf. praecipue Puchta, Gewohnheitsrecht I. p. 24. sqq. ejusdem Cursus der Institutionen Bd. I. 3. Aufl. p. 361. sqq. Savigny, System Bd. I. p. 109. sqq. Dirksen, Rheinisches Museum I. p. 1. sqq.

Quae in jure civili fundatae sunt obligationes, omnes pariunt actiones, et permultae quoque earum, quae fundamentum ceperunt ex jure gentium, honorarias dico, quas praetor actione munivit. Ceterae vero naturales obligationes actione quidem egent, nec tamen omni juris auxilio. Namque si quis naturale debitum solverit sive sua sponte, sive per errorem repetere nequit, sed competit creditori soluti retentio<sup>11)</sup>, deinde compensationem patitur naturalis debitor<sup>12)</sup>, et accessoriae obligationes, fidejussio<sup>13)</sup>, constitutum<sup>14)</sup>, novatio<sup>15)</sup>, pignus<sup>16)</sup>, accedere possunt ad debitum naturale et ita quidem, ut quamvis debitorem principalem convenire creditor non possit, tamen in debitorem accessorium actionem habeat<sup>17)</sup>.

Inde descendit altera illa obligationum divisio in obligationes civiles et naturales. Civiles sunt, quae actionem pariunt (hoc igitur sensu praetoriae obligationes civilium sunt species), naturales, quae actione non sunt munitae, sed ceteros obligationis effectus (sive omnes, sive nonnullos tantum eorum) amplectuntur, aut ut nostro sermone

---

<sup>11)</sup> l. 19. pr. de cond. indeb. (12.6): naturalis obligatio manet, et ideo solutum repeti non potest. l. 3. §. 7. quod quisque juris (2.2.): superesse enim naturalem causam, quae inhibet repetitionem.

<sup>12)</sup> l. 6. de compens. (16.2.). Etiam quod natura debetur, venit in compensationem.

<sup>13)</sup> l. 6. §. 2. l. 7. de fidejussor. (46.1.): Adhiberi autem fidejussor — potest, dummodo sit aliqua vel naturalis futura obligatio; quod enim solutum repeti non potest, conveniens est, hujus naturalis obligationis fidejussorem accipi posse. l. 13. pr. de cond. indeb.

<sup>14)</sup> l. 1. §. 7. de pecunia constit. (13.5): Debitum autem vel natura sufficit. l. 19. §. 4. de donatt. (39.5.).

<sup>15)</sup> l. 1. §. 1. de novatt. (46.2.).

<sup>16)</sup> l. 5. pr. de pignor. (20.1.) [not. 9.]. l. 13. pr. de cond. indeb. (12.6.). l. 14. §. 1. de pignor. (20.1.).

<sup>17)</sup> Quoad fidejussionem et constitutum hoc non disceptatur, pignoraticium vero debitorem multi naturaliter tantum teneri censent, sed minus recte. cf. de hac quaestione infra §. 14. nr. 3.

utar, civiles obligationes sunt „die klagbaren Obligationen,“ naturales „die klaglosen.“

Hoc modo intelliguntur verba *civilis obligatio* tam frequenter, atque tam raro adhibentur voces *naturalis obligatio*, ut Romani Icti persaepe actionis et obligationis voce promiscue utantur<sup>18)</sup>, ut naturalem obligationem non esse obligationem dicant<sup>19)</sup> et ejusmodi creditorem non creditorem et debitorem non verum debitorem<sup>20)</sup>.

Fere semper quum in juris fontibus naturalis obligationis mentio fit, haec est auxilio actionis egens obligatio ex jure gentium nata et in nostra quoque disputatione, quum naturalis obligationis voce utimur, quum natura debere pupillum dicimus, ut hoc sensu speciali accipias, petimus<sup>21)</sup>.

Jam vero ad ipsam quaestionem transeamus.

---

<sup>18)</sup> Ita verbi gratia in rubro tit. D. *de obligationibus et actionibus*. l. 42. §. 1. eod. *creditores eos accipere debemus, qui aliquam actionem — habent*. cf. l. 10. de V. S. (50. 16.). l. 7. §. 4. de pactis. (2. 14.).

<sup>19)</sup> l. 7. §. 4. de pactis (2. 14.): Sed quum nulla subest causa, propter conventionem hic constat non posse constitui obligationem. *Igitur nuda pactio obligationem, non parit sed parit exceptionem.*

<sup>20)</sup> l. 10. de V. S. (50. 16.): *Quodsi natura debeatur, non sunt loco creditorum*. l. 108. eod.: *Debitor intelligitur is, a quo invito exigi pecunia potest*. cf. l. 178. §. 3. eod. l. 41. de pecul. (15. 1.). l. 16. §. 4. de fidejussor. (46. 1.): — *nam licet minus proprie debere dicantur naturales debitores, per abusionem intelligi possunt debitores, et qui ab his pecuniam recipiunt, debitum sibi recepisse.*

<sup>21)</sup> Nuperrime Brinziius in dissertatione, qua Savinii jus obligationum eleganter atque acute in iudicium vocavit (*Kritische Blätter civilistischen Inhalts*, nr. 3. Erlangen 1853), contendit, naturalem obligationem omnino non cohaerere cum jure gentium. Posteaquam singulas naturalis obligationis species accurate disquisivit (in quo hoc praecipue effecit, ex nudo pacto naturalem obligationem non oriri), ostendere tentat, jus gentium, ex quo Savinius naturalem obligationem deducit, non esse positivum,

lum sine tutoris auctoritate cum alio contrahentem, namque res ipsa postulare videtur, ut saltem naturalem obligationem agnoscamus, ubi ob defectum formalem civilis

---

thümliche Verhältnisse des Klagrechts“. Omittitur hic quidem prima species, quam Savinius hoc loco habendam putat, injusta absolutio veri debitoris, quum in hoc casu omnem itaque etiam naturalem obligationem deleri censeam [cf. l. 13. quib. mod. pign. solv. (20. 6.). cui non obstant l. 60. de cond. indeb. (12. 6.) et l. 28 eod.]. Restant igitur tantum praescriptio actionis in personam et illud, „quod quisque juris in alterum statuerit, ut ipse eodem jure utatur“).

Quodsi putat Brinzius, causam, ex qua naturales obligationes, quamvis agi ex iis non possit, tamen non plane reprobentur, et in ratione esse et in aequitate (p. 45. sqq.), non prorsus falsum videtur protulisse, nam *ultima* quidem *causa*, cur in jure quamquam imperfecte agnoscantur, ex his duobus rebus intelligi potest, sed jam ut dixi nihil nisi *ultima causa*, quia omne jus esse desinit, si ratio et aequitas tolluntur, et quia praecipue jus gentium oppositum jure civili in iis nititur. Id autem, quod Savinius hac de re protulit omnino non ei contrarium est. Ille enim non ultimam hanc causam respexit, cur jus gentium quasdam obligationes ut naturales agnoscat, sed satis sibi habuit eo, quod jus gentium eas tuetur. Minime igitur Brinzius refutavit, hanc causam, id quod Savinius vult, in eo inesse, quod jus gentium et jus civile non plane congruunt („mangelhaftes Zusammenwirken von jus gentium und jus civile“). Si igitur ex jure gentium et ex jure civili constat obligationem esse, agi et ea potest, i. e. civilis est, contra obligatio omnino non adest; sin autem ex jure civili id, quod ex jure gentium obligatorium habetur, non defenditur, tum naturalis obligatio adest.

Deinde si de effectibus naturalis obligationis cogitamus, optime Brinzius in hac sententia eos amplectitur, „solvi potest ex ea, nec vero actio datur“ (p. 48.), qua rectissime ostenditur ex qua ratione singuli effectus accipi debeant atque quid commune habeant.

Quaestionem illam, quam ultimam auctor proposuit, nimirum cur non omnes singulae naturalis obligationis species omnia quaevis efficere possint, et ipse sicut jam Savinius in medio reliquit, quod ad generalia pertinet, et putat hoc nisi in sin-

obligatio, i. e. actio denegatur. Sane sunt, qui hoc modo expedire studebant, quod inest in nostra quaestione difficultatis<sup>1)</sup>, quorum unum nominasse satis habeam, cujus nomen inter omnes omnium temporum jurisperitos floret semperque florebit. Savinius<sup>2)</sup>, postquam quae spectant ad nostram quaestionem, Romanorum Ictorum verba attulit eaque interpretatus est, paucis ostendit, quomodo glossatores ac medii aevi Icti consentientes inter se reddere studuerint leges, et negligens, quae nuper Brandis<sup>3)</sup>, Buecheilius<sup>4)</sup> et Vangerovius<sup>5)</sup> de naturali pupillorum obliga-

gulis speciebus explicari non posse. Etiam in hac re ei assentior, nam proprietas haec est rationis, in qua in singulis casibus naturalis obligatio fundata est (eine Eigenthümlichkeit des den einzelnen Fällen der naturalis obligatio zum Grunde liegenden Verhältnisses), sed, id quod bene tenendum est, in legibus definite praescripta esse debet, ita ut, si ex jure naturalis obligatio agnoscitur, omnia quaevis ex ea oriri nobis praesumendum sit.

<sup>1)</sup> Ita ex veterioribus Ictis Mascovius, de sectis Sabianorum et Proculianorum. cap. IX. §. XIV. p. 191 sqq. Thomasius ad Huberi praelectiones juris civilis. Ad Instit. tit. de fidejussoribus (3. 20); C. F. Walchius ad Eckhardi hermeneuticam juris lib. I. cap. 4. (Lips. 1802. p. 336.) atque ex recentioribus Weber, natürliche Verbindlichkeit. 4. Aufl. 1811. p. 266. 267; Glueck, Commentar. Bd. IV. p. 64 sqq.; Göschen, Vorlesungen über das gemeine Civilrecht. Bd. II. Abth. 2. p. 169. 170; Zimmern, Geschichte des römischen Privatrechts. Bd. I. Abth. 2. p. 927. not. 3; Rudorff, das Recht der Vormundschaft. Bd. II. p. 280. not. 16; Fritz, Erläuterungen zu Wening-Ingeneims Lehrbuch des gemeinen Civilrechts. Hest III. p. 271. [Hic vero tantum l. 59. de O. et A. (44. 7.) cum ceteris Ictorum dictis conciliari posse negat; ad l. 41. de cond. indeb. (12. 6.) aliam protulit sententiam, quam infra §. 13. not. 13. tractabo.]

<sup>2)</sup> Obligationenrecht Bd. I. p. 13. sqq.

<sup>3)</sup> Ueber absolute und relative Nichtigkeit in Linde et Marezoll, Zeitschrift für Civilrecht und Prozess. Bd. VII. p. 149. sqq.

<sup>4)</sup> Ueber die Verpfändung für nicht vollgiltige Obligationen. Civilrechtliche Erörterungen. Bd. II. Hft. 1. p. 68. sqq.

<sup>5)</sup> Pandecten, Bd. I. 6. Aufl. 1861. §. 279.



tione scripserunt, haec addit: „Eine unbefangene Betrachtung führt also zu der Ueberzeugung, dass eine Vereinigung jener Stellen in der That nicht möglich ist, dass wir vielmehr hier einen unaufgelösten Streit der römischen Juristen vor uns haben, der aus Versehen in die Digesten mit aufgenommen ist“<sup>9)</sup>. Quantum ad rem ipsam Savinius eos laudat, qui naturaliter obligari pupillum putant.

Neque vero comprobari posse videtur, quam Savinius in pertractanda quaestione inivit viam, quum nunquam, nisi summa in componendo discidio opera frustra navata sit, licitum nobis putemus, negligentiam compilerum in pandectas aliamve corporis juris partem recepta esse dicta lictorum existimare, quibus vera antinomia insit. Saepius quidem compilatores ejusmodi culpam commiserunt, nemo est, qui neget, neque operarum gravitatem ac molestiam inspicientibus mirum nec valde vituperandum videbitur. Sed quod attinet ad nostram quaestionem, necessitate nos coactos esse, decedere a studio conciliandarum legum, antinomiamque statuere, minime probatum videtur, neque Savinius ut probaret, operam dedit. Immo persuasum mihi habeo, culpa factum non esse, quod legantur in *digestis* verba Neratii et Licinii Rufini, sed iis, quae Paulus, Ulpianus, Papinianus ceteri disputant, facile ea posse aptari,

Diversissimas quidem singuli lecti in componendis legibus inierunt vias, quas paucis ut referam, opus videtur esse, priusquam quae mihi probata sit interpretatio, exponam.

### §. 5.

Ipsi jam glossatores<sup>1)</sup> valde diversa de componendo legum discidio opinati sunt, quorum multa refert glossa-

<sup>9)</sup> l. c. p. 74.

<sup>1)</sup> Glossatorum opiniones ut cognoscam, evolvi Pandectas seu Digesta juris civilis cum Accursii commentariis et doctissimorum virorum annotationibus. III. vol. 4<sup>o</sup>. Venet. 1569.

tor legis l. de novatt. Secundum enim cum multi<sup>2)</sup> pupillum infantiae proximum ne naturaliter quidem obligari putabant, pubertati vero proximum obligari naturaliter; alii si quid ad eum pervenerit, naturaliter teneri pupillum, si vero non sit locupletior factus, non teneri; Martinus<sup>3)</sup> denique ut obligetur pupillus naturaliter, utrumque exegit, et ut proximus sit pubertati, et ut pervenerit aliquid ad eum. Ipse glossator leg. cit. ita conciliari posse leges putat, ut infans non obligari naturaliter dicatur, pupillus autem infantia major obligari, siquidem non contraxerit cum ipso tutore; tunc enim pupillum quoque infantia majorem ne naturaliter quidem teneri. Eandem protulerunt sententiam glossatores ll. 41. de cond. indeb. et 59. de O. et A., quum aut de infante Neratium et Licinium Rufinum loqui putent, aut de pupillo, qui ipsi tutori aliquid promiserit.

Denique paucis Azonis sententiae mentio est facienda.

---

<sup>2)</sup> Ita Accursius ad l. 21. pr. ad l. Falcidiam et glossator l. 189 [150] de R. l. (50. 17.), quorum posterior hoc de naturali pupillorum obligatione protulit schema:

Pupillus contrahit

1. tutore auctore — obligatur civiliter et naturaliter.

2. sine tutore

a. infans — obligatur nec civil. nec natur.

b. infantiae proximus — idem.

c. pubertati proximus

α. locupletior factus — obl. et civ. et nat.

β. non locupletior factus

a. cum ipso tutore — obl. nec civ. nec nat.

b. cum extraneo — obligatur naturaliter.

<sup>3)</sup> Hanc sententiam Martinum secutum esse et quem dixi glossator l. l. de novatt. et Bartolus ad eandem legem referunt. Alii quidem aliud eum putasse dicunt. Donellus enim, ut apud Weberum natürliche Verbindlichkeit. p. 266. not. 7. legitur, Martinum hoc discrimen fecisse narrat, utrum locupletior factus sit pupillus, an non factus sit; in aetatem pupilli eum non spectasse, atque eandem distinctionem a Martino in glossa ad l. 25. de fidejussoribus factam esse Vangerovius, Pandecten. I. p. 593. refert. Equidem vero in glossa ad dictam legem hanc Martini sententiam non inveni.

Hic<sup>4)</sup> enim pupillum absque tutore contrahentem naturaliter obligari ejusque fidejussorem teneri agnoscit, sed de obstantibus Neratii et Licinii Rufini verbis nihil scripsit.

De Accursij et Martini atque eorum sententia, qui inter pupillum locupletiozem factum et non factum distinguunt, melius videtur esse disserere, quum quid Donellus et Cujacius opinati sint, tractatur, sed hic pauca de iis, qui infantem aut pupillum cum ipso tutore contrahentem in animo habuisse Licinium et Neratium putant. Manifestum est, nullo modo hoc posse probari. Quamvis enim infantem ne naturaliter quidem obligari constet, tamen in ll. 41. cit. et 59. cit. hoc non est dictum, quippe quae de pupillis, non de infantibus loquantur et pupillum eum quoque esse, qui infantiam superavit, i. e. qui septimum annum implevit, quis est, qui nesciat?

Neque magis Neratius aut Licinius Rufinus de pupillo locuti sunt, qui quum plures tutores haberet, cum altero eorum contraxit, altero haud adhibito, neque de pupillo, qui soli tutori aliquid promisit, sed pupillum in animo habuere, qui, quamvis tutor ei esset, tamen sine ejus auctoritate cum extraneo contraxit. Verum etiam si casum legum cit. ita acciperemus, quomodo earum glossatores, tamen quod ex eo colligunt, plane falsum videretur esse. Namque si pupillus cum ipso tutore contrahit, non est, cur hoc negotium aliud juris habeat, ac si pupillus sine tutoris auctoritate cum extraneo contraxerit. Tutor ipse in solidum obligatur civiliter, pupillus vero solum in id, quod locupletatior factus est, ex jure civili et naturaliter in omne, quod debet. Civiliter enim pupillus ex ejusmodi negotio supra id, quod ad eum pervenit, obligari nequit, quum legibus vetitum sit, ne tutor in rem suam auctor fiat<sup>5)</sup>, sed naturaliter eum obligari apparet, et Bartolus<sup>6)</sup> sane errat, quum putet, ne natura quidem eum debere, quod tu-

---

<sup>4)</sup> Summa in Codicem. Tit. de arbitris (2. 56.) nr. 8. (s. l. 1540. fol. 28.).

<sup>5)</sup> l. 1. pr. l. 5. pr. de auct. tut. (26. 8.).

<sup>6)</sup> ad l. 1. de novatt. (46. 2.).

tori promisit. Nam quum ut probet, quod sentit, provocet ad l. 46. de contr. empt. (18. 1.):

Non licet ex officio, quod administrat quis, emere quid vel per se, vel per aliam personam; alioquin non tantum rem amittit, sed et in quadruplum con-venitur secundum constitutionem Severi et Antonini,

vetant quidem haec verba, ne tutor ex bonis pupilli aliquid emat ac si nihilominus fecerit, quadrupli poenam minantur, sed longe aliud est, oriri non posse naturalem obligationem ex negotio cum ipso tutore contracto, quam haec emptio- nis prohibitio, neque ex poena illa colligi potest, ex omni- bus cum tutore contractis negotiis pupillum ne natura qui- dem teneri, praesertim quum pupilli civilis obligatio in id, quod ex ejusmodi negotio per tutorem locupletior fa- ctus est, legibus agnita sit<sup>7)</sup>.

### §. 6.

Sicut glossatores, ita etiam postglossatores qui dicun- tur, seu scholastici de conciliandis legibus, quae spectant ad pupillorum obligationem, dissenserunt. Bartolus<sup>1)</sup> enim Accursium et glossatorem l. 1. de nov. secutus, inter pu- pillum infantiae proximum et pubertati discrimen facit, quo- rum hic naturaliter obligetur, ille ne natura quidem, eodem- que modo Odofredus<sup>2)</sup> de pupillorum obligatione scripsit. Contra Paulus Castrensis<sup>3)</sup> obligari pupillum naturaliter putat, si locupletior factus sit, ad quem vero nihil perve- nerit, ne naturali quidem jure obligari.

Quid ceteri hujus temporis Icti de nostra quaestione censuerint, quum eorum opera evolvendi facultas me de- fecerit, omittere necessitate coactus sum, et statim ad po- steriores juris peritos transgredi.

---

7) l. 5. pr. de auct. tut. (26. 8.).

1) ad l. 1. de novatt. (opera Bas. 1562. tom. IV. p. 622.).

2) ad l. 41. de cond. indeb. (comment. ad Pand. Lugdun. 1550.).

3) ad l. 1. de novatt. (comment. ad Pand. Lugdun. 1540.).

§. 7.

Cujacius et Donellus sicut de aliis quaestionibus saepe dissentiunt, ita etiam in ea, quam nos tractamus, sibi controversiam faciunt. Cujacius<sup>1)</sup> enim distinguit inter pupillam locupletiolem factam et non factam, Donellus<sup>2)</sup> vero Accursium sequens inter pubertati et infantiae proximum. Utramque vero opinionem improbandam esse, paucis demonstrari potest.

Videtur quidem Cujacii sententia probari his Ulpiani<sup>3)</sup> verbis

Sed et quum solus (sit) tutor mutua pecuniam pupillo dederit, vel ab eo stipuletur, non erit obligatus tutori; *naturaliter tamen obligabitur, in quantum locupletior factus est*, nam in pupillum non tantum tutori, verum cuivis actionem, in quantum locupletior factus est, dandam D. Pius rescripsit, in quibus naturale debitum nominatur id, quod pupillus locupletior factus debet. Sed quum agere posse tutorem in pupillum locupletiolem factum Ulpianus dicat, apparet vocem *naturaliter* hic non spectare ad effectus obligationis, sed ad ejus originem ex jure gentium seu naturali. Quodsi igitur ex his verbis nihil sibi sumere possunt, qui Cujacii sententiam justam esse putant, falsam eam esse ex eo elucet, quod, ut jam supra<sup>4)</sup> dictum est, D. Pius rescripsit, in quantum locupletior factus sit pupillus ex negotio sine tutore contracto, actionem creditori in eum dandam esse, quod igitur civiliter, non naturaliter obligatur pupillus lo-

<sup>1)</sup> Ad Inst. lib. III. tit. 29. §. 3. (opera Neap. 1772. tom. I. p. 227.). Ad l. 127. de V. O. (tom. I. p. 1246.). Observatt. et Emendatt. lib. XVII. cap. 4. (tom. III. p. 488.). Quaest. Papin. lib. XVIII. ad l. 26. §. 1. quando dies legati (tom. IV. p. 500.). ibid. lib. XXVIII. ad l. 95. §. 4. de solutt. (tom. IV. p. 722.).

<sup>2)</sup> Comment. juris civilis lib. XII. cap. 22. §. 13. (ed. Bucher. tom. VII. p. 235.).

<sup>3)</sup> l. 5. pr. de auct. tut. (26. 8.), qua de lege conferatur Savigny, Obligationenrecht Bd. I. p. 26. not. h.

<sup>4)</sup> cf. §. 2. not. 10.

cupletior factus. Ex altera vero parte pupillum locupletio-  
rem non factum naturaliter obligari, permultis Romanorum  
lectorum dictis<sup>6)</sup> partim expressis verbis, partim ad effectus  
agnoscitur. Huc accedit, quod ejusmodi distinctio, qua-  
lem Cujacius Neratii et Licinii Rufini verbis subjecit,  
ne obiter quidem in iis attacta sit, ita ut, quod opina-  
tus est hic lectus, probari nullo modo possit. Quo magis  
mirum videtur esse, quod ex nostris jurisperitis Puchta<sup>6)</sup>  
ejus sententiam probans naturalem pupillorum obligationem  
utique neget, excepto eo casu, in quo locupletiores facti  
sunt. Sed aptius videtur esse, ut Puchtai sententiam  
infra tractem; quum quid ceteri recentioris temporis lecti  
cogitarint, referam<sup>7)</sup>.

Verum etiam, quod Donellus de naturali impuberum  
obligatione proposuit, reprobandum videtur esse. Nunquam  
enim leges inter infantiae et pubertati proximos discernunt,  
nisi quum quaeritur, utrum pupillus doli capax sit, utrum  
delictum, quod commisit, ei imputari possit, nec ne<sup>8)</sup>. An-  
tiquissimo quidem jure hoc discrimen factum esse, ita ut  
tantum pubertati proximus pupillus sine tutore recte alium  
sibi obligare potuerit, infantiae autem proximus non potue-  
rit, minime nego, verum utilitatis causa benigniorem juris  
interpretationem receptam esse, ipse Justinianus<sup>9)</sup> refert,  
ut idem juris habeant proximi infantiae, quod proximi pu-  
bertati. Si igitur, quo tempore Neratius et Licinius  
Rufinus scripserunt, adhuc ejusmodi discrimen factum esse  
concederemus et illos jurisperitos tantum de infantibus in-  
fantiaeque proxinis dixisse, ne natura quidem eos debere,  
tamen in jure Justiniano talis distinctio expresse est re-  
cusata, ita ut, si a compilatoribus fragmenta recepta esse

<sup>6)</sup> l. 25. §. 1. quando dies leg. (36. 2.). l. 3. §. 4. de neg. gest.  
(3. 5.). l. 95. §. 2. de solutt. (46. 3.) etc. quibus de legibus uberius  
infra §. 11. disseretur.

<sup>7)</sup> Pandecten §. 237. not. h. Vorlesungen Bd. II. p. 41.

<sup>8)</sup> cf. §. 11.

<sup>9)</sup> l. 13. §. 1. de dolo malo (4. 3.). l. 4. §. 26. de doli except. (44.  
4.). l. 111 de R. J. (50. 17.).

<sup>9)</sup> §. 9. J. de inutil. stipul. (3. 19.).

patemus, quae spectent ad vetus illud discrimen, hoc non nisi magna culpa factum esse posset. Negligentiam vero in nostra quaestione compilatores commiserunt, eo minus credibile mihi videtur, quum quod inesse putant in legibus discidium, facile componi posse persuasum mihi habeam.

Ipse Donellus in posteriore opere<sup>10)</sup> hanc suam sententiam quodammodo reprobavit et ita mutavit, ut sicut prius pupilli infantiae proximi quamlibet obligationem neget et de pubertati proximo hoc proponat: ratione ipsius pupilli omnem etiam naturalem obligationem rejiciendam esse, sed ratione aliarum personarum, fidejussoris et ejus, qui novet, obligationem agnoscendam<sup>11)</sup>. Multo vero minus haec opinio probanda videtur, quum error ad errorem venerit. Quid enim? num accessoria quae dicitur obligatio, qualis est fidejussoris et novantis, consistere potest, principali obligatione reprobata<sup>12)</sup>?

Quodsi ex his sequitur, neque eos posse laudari, qui distinguunt, utrum aliquid pervenerit ad pupillum, nec ne, neque eos, qui discrimen faciunt inter pupillum infantiae proximum et pubertati, eo magis vituperandus videtur esse Martinus, qui, ut obligaretur pupillus naturaliter, utrumque exegit, et ut proximus sit pupertati, et ut pervenerit aliquid ad eum<sup>13)</sup>.

### §. 8.

Quomodo ceteri Icti, qui XVI, XVII et XVIII saeculis floruerunt, componere studuerint leges et quod ipsi de pu-

<sup>10)</sup> Comment. ad l. 127. de V. O.

<sup>11)</sup> Hujus operis quum evolvendi occasio me defecerit, opus est, eos nominare, qui mutasse Donellum opinionem suam referunt. Weber (natürliche Verbindlichkeit p. 267. not. 7. in fin.) reprehendere Donellum eos scribit, qui discrimen faciant inter infantiae proximos et pubertati. Averanius (interpret. jur. civ. lib. II. cap. 14.) et Brunne mannius (comment. in Pand. ad l. 41. de cond. indeb.) posteriorem Donelli opinionem referunt.

<sup>12)</sup> Uberius hic error infra §. 9. rejicietur, quum recentiorum Ictorum opiniones tractabo.

<sup>13)</sup> cf. §. 5. not. 3.

pillorum naturali obligatione opinati sint (fere omnes enim ejus temporis jurisperiti tractaverunt hanc quaestionem), obiter tantum tangere mihi licet, quum plurimorum ex iis scripta perlegendi facultas mihi non fuerit<sup>1)</sup>.

Multi sunt, qui Cujacium laudant, pupillum ne naturaliter quidem obligari censentem, nisi in quantum locupletior factus sit. Ita Giphanius<sup>2)</sup>, Treutlerus<sup>3)</sup>, Wesenbeccius<sup>4)</sup>, Rittershusius<sup>5)</sup>, Cramerus<sup>6)</sup>, S. de Coccejus<sup>7)</sup> alii. Nova vero ad probandam hanc sententiam et refutandas aliorum nemo eorum attulit, neque enim aliter obstantes leges rejicere potuerunt, quam ut dicerent, semper supplendum esse pupillum locupletiozem factum.

Alii Accursium secuti discrimen faciunt inter pupillum infantiae proximum et pueritiam, quorum ille ne natura quidem obligetur, hic vero obstringatur obligatione. Hoc loco habendi sunt Harprechtus<sup>8)</sup>, Schaeidevinus<sup>9)</sup>, Wachendorffius<sup>10)</sup>.

<sup>1)</sup> Veteres hac de quaestione scriptores permultos allatos invenies apud Harprechtum comment. ad Inst. lib. I. tit. de auct. tut. §. 30.; Schulting, notae ad Digesta ed. Smalenburg ad l. 41. de cond. indeb. (III. p. 107.); Glueck, Pandektencommentar IV. p. 64. not. 79.; Weber, natürliche Verbindlichkeit p. 266. not. 7—10.

<sup>2)</sup> Lecturae Altorphinae. Francof. 1605. p. 630 sqq. ad l. 46. de O. et A.

<sup>3)</sup> Disputationes ad jus civile. Marb. 1594. disput. VI. de pactis. thes. 5.

<sup>4)</sup> Paratitla ad Pand. tit. de auct. tut. (26. 8.) nr. 2. et Comm. ad Institt. tit. de inut. stipul. (3. 19.) §. 7.

<sup>5)</sup> Comment. ad Institt. tit. de auct. tut. (1. 21.). Argentor. 1694. p. 111.

<sup>6)</sup> Disceptationes juxta ordinem Institt. Jenae 1611. disc. V. de jure tutelae thes. XX.

<sup>7)</sup> Jus civile controversum cum notis Emminghausii. Lips. 1791. Lib. II. tit. 14. qu. 30.

<sup>8)</sup> Comment. ad Institt. tit. de auct. tut. (1. 21.). Tubing. 1627. tom. I. p. 575 sqq.

<sup>9)</sup> Comment. ad Inst. tit. de auct. tut. Argent. 1694.

<sup>10)</sup> Dissertationum trias. Traj. ad Rhen. 1730. dissert. III. de pactis. cap. II. §. 2. p. 430 sqq.



Id quod Donellus in comment. ad l. 127. de V. O. proposuit, pupillum infantiae proximum omnino non obligari, pubertati vero proximum ita obligari naturaliter, ut per accessionem vim habeat obligatio, laudat Averanius<sup>11)</sup>, atque idem (distinguendum esse ratione pupilli et ratione aliarum personarum), quamvis discrimen inter infantiae et pubertati proximos non faciant, sed recte de omnibus pupillis idem juris esse dicant, opinati sunt Brunnemannius<sup>12)</sup>, Tim. Faber<sup>13)</sup>, Hoppius<sup>14)</sup>, Westenbergius<sup>15)</sup>, Schultingius<sup>16)</sup>. Huc Antonium Fabrum<sup>17)</sup> quoque ponendam putamus, quamvis non plane perspicue argumentatus sit ad nostram quaestionem. Pupillus enim obligatur quidem naturaliter, ait<sup>18)</sup>, sed ejus obligationis nullus est effectus, neque ad impediendam conditionem solati, neque ad submovendam actionem exceptione pacti, neque ad inducendam compensationem. Quod igitur ad pupillum pertinet, Faber omnem obligationem negat, tamen fidejussorem obligari agnoscit<sup>19)</sup>. Non effugit Fabrum, abhorrere a primis juris principis, accessoriam obligationem agnoscere principali refutata, quamobrem, ut extingueret hanc discrepantiam, hoc modo argumentatus est: „Distinguendum est inter „obligari naturaliter“ et „obligari natura seu jure naturali“. *Naturaliter* obligatur pupillus ideoque fidejussorem dare potest (nam pupillum prius obligatum necesse est, ut principalis aliqua obligato sit, cui fidejussoria possit accedere), nec vero *natura* debet et hanc ob causam solutum repetit, sive absque tutore sol-

<sup>11)</sup> Interpretationes jur. civ. Lugd. Bat. 1753. lib. II. cap. 18.

<sup>12)</sup> Comment. in Pand. ad l. 41. de cond. indeb.

<sup>13)</sup> Disputatio VIII. ad Institt. tit. de auct. tut.

<sup>14)</sup> Comment. in Institt. tit. de auct. tut. in principio.

<sup>15)</sup> Dissertatio I. de causis obligationum cap. 4. §§. 14—17.

<sup>16)</sup> De naturali obligatione cap. X. (Commentationes academicae tom. I. diss. I.).

<sup>17)</sup> Rationalia in l. 28. de pactis, in l. 42. de jurejur. in l. 41. de cond. indeb. et Conjecturae lib. VIII. cap. 5. et 6.

<sup>18)</sup> Ration. in l. 28. de pactis.

<sup>19)</sup> Conject. VIII. cap. 6 init.

vetit, sive tutore adhibito. Naturalem enim obligationem quaelibet aequitas statuere potest quantumlibet generalis, qualis est ea, quae suadet pacta omnia servari, nec minus a pupillo, quippe qui habeat consensum et voluntatem. At ut quis obligetur jure naturali, talem aequitatem esse oportet, cui alia aequitas potentior nulla repugnat. Non autem aequum est, pupillum praestare, quod promiserit, quum per naturam ipsam fiat et quodammodo naturae ipsius vitio, ne tantum iudicii habeat, quantum necesse est ad obligationem aliquam serio contrahendam. Itaque generalis illa et naturalis aequitas, quae vult pacta servari, licet sit sufficiens ad inducendam obligationem naturalem, non tamen sufficit ad inducendam obligationem juris naturalis.<sup>20</sup>

Haec vero distinctio inter obligationem naturalem et obligationem juris naturalis, quarum illa sit debilior, sed tamen sufficiens ad producendas accessorias obligationes, tam longe est petita, tam inepta et lubricosa<sup>20</sup>), ut miram videatur, esse Ictos, qui sequantur hanc opinionem. Eodem enim modo Strauchius<sup>21</sup>) et Zoësius<sup>22</sup>) de pupillorum naturali obligatione opinati sunt.

Haec omnia quidem non possunt probari. Tamen sunt ex hujus temporis Ictis nonnulli, qui rectam ad componendum discidium inierant viam. Duarenius<sup>23</sup>) enim, posteaquam et Accursii et Cujacii sententiam reject, Neratii et Licinii Rufini verbis non tam omnem naturalem obligationem negari putat, quam tantum condictionem indebiti permitti pupillo, qui sine tutore ex naturali obligatione aliquid solverit. Falsum quidem est, quod ex hoc Duarenius colligit, modo obligari pupillum naturaliter, modo non obligari. Obligari in iis, quae nullum aut

---

<sup>20</sup>) cf. Bachov ab Echt, notae et animadversiones ad Treutleri disput. VI. thes. 5. litt. B. tom. I. Heidelb. 1617. p. 235.

<sup>21</sup>) Dissertationes ad universum jus Justinianum. Francof. 1682. diss. V. de tutela et cura thes. XXIX.

<sup>22</sup>) Comment. ad Dig. tit. de V. O. (44. 7.) §§. 46 sqq.

<sup>23</sup>) Ad l. 127. de V. O. Opera Lugd. 1584. p. 1043.

perquam levè incommodum afferant (fidejussio, novatio, pignus etc.); quoties autem agatur de gravi incommodo (soluti retentio), ne natura quidem obligari. Obligatur pupillus semper naturaliter, conditio vero indebiti ei competit, quia alienare quidquam nequit.

Bachovius Ectius<sup>24)</sup> quoque et Huber<sup>25)</sup> naturalem pupilli obligationem agnoscunt et in ll. 41 et 59 citt. negatam esse eam putant, quia haec obligatio legibus infirmata et ipsis effectibus privata videatur esse, sed miro quodam modo etiam ad compensationem eam non sufficere dicunt. Leges enim, ut hoc probent, non afferunt neque afferre potuerunt, quum nunquam in legibus hoc dictum sit. Contra compluribus legibus<sup>26)</sup> creditori pupilli jus compensationis permissum videtur esse, etiam supra id, quod ad debitorem pervenit.

Denique Vinnius<sup>27)</sup> huc referendus est, qui pupillum naturaliter debere a Licinio Rufino et Neratio negatum esse censet, quoniam praecipuos naturalis obligationis effectus, qui consistant in jure compensandi et soluti retinendi, pupilli naturalis obligatio non habeat. Attamen in eo errat Vinnius, quod tantum de pubertati proximo pupillo hoc valere dicit, infantiae vero proximum nunquam naturaliter obligari.

Natura debere pupillum sine tutore contrahentem Merrillius<sup>28)</sup> quoque agnoscit, qui Cujacii opinionem diserte refutavit et Wissenbachius<sup>29)</sup>, neque vero ullus

---

<sup>24)</sup> l. c. (not. 20. p. 27.).

<sup>25)</sup> Praelectiones juris civilis cum notis Thomasiae. Lips. 1735. p. 301. Ad Institt. lib. III. tit. 20.

<sup>26)</sup> l. 3. §. 4. de neg. gest. (3. 5.) et l. 7. §. 1. de resc. vendit. (18. 5.), sed de his legibus, quae quid velint, quum inter omnes lictos non constet, melius infra tractabimus. cf. p. 30. 31. et §. 13. init.

<sup>27)</sup> De pactis cap. 14. §§. 11. et 12. et. Comment. ad Institt. tit. de inutil. stipul. (3. 19.) §. 9.

<sup>28)</sup> Observationes juris civilis lib. VII. cap. 5.

<sup>29)</sup> Exercitationes ad Pand. tit. de auct. tutor. (26. 8.) disp. 51. nr. 13.

eorum de iis legibus, quae obstare videntur huic sententiae, verba fecit.

Satis vero de prioris temporis Ietis dissertum videtur. Jam ad recentiores me convertam, atque quid hi de pupillorum naturali obligatione sentiant, exponam.

### §. 9.

Plurimi eorum laudant, quod Donellus de pubertati proximis proposuit et Westenbergius ac Schultingius de omnibus pupillis statuerunt, ipsum pupillum, excepto eo, quod ad eum pervenerit, non obligari, ne naturaliter quidem, alias vero personas obligari. Fidejussorem enim recte accedere posse ad pupilli obligationem, expromissorem per novationem in se transferre eam et pupillum novatione alium liberare, ipsum vero non obligari. Ita Weber<sup>1)</sup>, Glueck<sup>2)</sup>, Thibaut<sup>3)</sup>, Rosshirt<sup>4)</sup>, Unterholzner<sup>5)</sup>, Christiansen<sup>6)</sup>.

Sed num quis accessoriâ obligatione teneri potest principali rejecta<sup>7)</sup>? Nonne est contradictio in adjecto, fidejubere aliquem posse pro non obligato<sup>8)</sup>? Obligatio, quae

---

<sup>1)</sup> Natürliche Verbindlichkeit. p. 264 sqq.

<sup>2)</sup> Commentar. Bd. IV. p. 64 sqq.

<sup>3)</sup> Pandecten 8. Aufl. §. 423.

<sup>4)</sup> Zeitschrift für Civil- und Criminalrecht. Bd. I. p. 130sqq. Ipse vero Weberi sententiam perverse intellexit, quum l. c. p. 131. eum inter infantiae et pubertati proximum pupillum discrimen facere dicat, quem errorem Fritzius quoque (Erläuterungen III. p. 271. not. 78.) commisit.

<sup>5)</sup> Schuldverhältnisse. Bd. I. p. 157 sqq.

<sup>6)</sup> Zur Lehre von der naturalis obligatio und condictio indebiti p. 119 sqq. Dicit quidem naturalem pupilli obligationem agnoscendam esse, sed quod ad ipsum pupillum attineat, effectibus eam carere.

<sup>7)</sup> cf. l. 178. de R. J. (50. 17.): Quum principalis causa non consistat, plerumque ne ea quidem, quae sequuntur, locum habent.

<sup>8)</sup> cf. l. 16. pr. l. 57. de fidejussor. (46. 1.).

tarali pupillorum obligatione in omnibus probari posse videtur. Naturali quidem obligatione teneri putat pupillos, sed tamen gravissimos naturalis obligationis effectus, exceptiones et retentiones creditoris, inesse in ea negat. Namque creditorem, sicut agere possit in pupillum non nisi in quantum locupletiore eum fecerit, ita etiam in agentem ex negotio pupillum tantum, quod ad eum pervenerit, compensare posse omniaque, quae supra id debeat pupillus, nullo modo eum consequi. Verum etiam quod pupillus solverit ex ejusmodi obligatione, juste ab eo condici nec competere creditori soluti retentionem; huc spectare, si Neratius et Licinius Rufinus nec natura debere pupillum dicant. Ceterum idem efficere pupilli naturalem obligationem, quod majorum, ita ut intercedi possit pro ea, ut novare eam liceat, ut quod solutum sit creditoris heredibus, in quartam Falcidiam imputandum sit; quin etiam ob interventum novarum personarum creditorem solutum retinere posse, ita ut et ipse repetentes pupilli heredes retentione summovere possit, et heredibus suis retentio competat in condicentem pupillum.

Quamquam permultis legibus allatis et erudita sagacitate probare studuit Brandis, sese ipsum recte interpretatum esse dicta Ictorum Romanorum, tamen complura sunt, quae mihi non probentur, eam secuto sententiam, quam Duarenus jam et Bachovius et Huber obiter tetigerunt, quam Buechelius et praeceptor illustrissimus Vangerovius uberius exposuerunt. Priusquam autem quid equidem de pupillorum naturali obligatione ac de Licinii Rufini et Neratii verbis sententiam, tractabo, opus est, ut, quid Puchta hac de re protulerit atque quomodo Brinzii consentientes eas inter se facere studuerit, referam.

### §. 11.

Puchta, quem Cujacium secutum esse jam supra dixi, pupillorum naturalem obligationem utique negat, excepto eo casu, in quo locupletiores facti sunt. Quae sen-

tentia tam longe petitis tamque falsis argumentis fundata est, ut facere non possim, quin uberius de ea agam. Haec enim Puchta<sup>1)</sup> protulit:

Pupillus sine tutore contrahens omnino non obligatur<sup>2)</sup>. Mutuam pecuniam accipiendo ne jure naturali quidem tenetur<sup>3)</sup>, neque per stipulationem<sup>4)</sup>. In quantum vero locupletior factus est pupillus, actio in eum datur<sup>5)</sup>, atque haec actione munita obligatio, quum naturali aequitate fundata sit, ipsa naturalis dicitur<sup>6)</sup>. Supra id vero, quod ad eum pervenit, naturaliter (in sensu stricto i. e. ad effectum) non obligatur (et hoc naturali rationi conveniens est<sup>7)</sup>, et omnia fontium fragmenta<sup>8)</sup>, quae naturalis pupillorum obligationis mentionem faciunt, referenda sunt ad pupillum locupletiozem factum.

Nonnulla ex his fragmentis<sup>9)</sup> in medio relinquere, utrum spectent ad id, quod pervenit ad pupillum, an ad totam obligationem, concedimus, sed iis, ut quod nobis pro-

---

<sup>1)</sup> Pandecten §. 237. not. h. Vorlesungen Bd. II. pg. 41. Quodsi quidem, quod ad nostram quaestionem spectat, Puchta i legum interpretationes rejicere coactus sum, opprobrium mihi hac ex re non facias, quum haud ignarus sim, maxima esse ejus merita de juris Romani notitia excolenda.

<sup>2)</sup> l. 1. C. de inut. stip. (8. 39.). l. 9. de inst. act. (14. 3.). §. 3. J. quib. mod. toll. obl. (3. 29.).

<sup>3)</sup> l. 59. de O. et A. (44. 7.).

<sup>4)</sup> l. 41. de cond. indeb. (12. 6.).

<sup>5)</sup> l. 13. §. 1. l. 14. de cond. indeb. (12. 6.). l. 3. §. 4. l. 6. pr. l. 34. l. 37. de neg. gest. (3. 5.). l. 3. pr. commod. (13. 6.). l. 10. de inst. act. (14. 3.). l. 8. §. 15. ad Sc. Velley. (16. 1.). l. 1. §. 15. depositi (16. 3.). l. 1. pr. de auct. tut. (26. 8.). l. 4. §. 4. de doli exc. (44. 4.). l. 66. de solut. (46. 3.).

<sup>6)</sup> l. 5. pr. de auct. tut. (26. 8.).

<sup>7)</sup> Gaj. l. 189: „— quia id naturali ratione conveniens est, ut is, qui perfectae aetatis non sit, alterius tutela regatur.“ Sed nonne hoc est longe aliud, quam quod Puchta Gajum dicentem putat?

<sup>8)</sup> l. 42. pr. de jurejur. (12. 2.). l. 19. §. 4. de donatt. (39. 5.). l. 127. de V. O. (45. 1.). l. 25. de fidejuss. (46. 1.). l. 1. §. 1. de novatt. (46. 2.). l. 95. §. 4. de solutt. (46. 3.).

<sup>9)</sup> l. 25. de fidejussor. (§. 14. not. 6.). l. 42. pr. de jurejur. (§. 1. not. 13.). l. 95. §. 4. de solutt.

bandum sit, demonstramus, nullo modo egemus, quum ceteris eo distinctius evidentiusque pupillum, etiamsi non sit locupletior factus, naturaliter obligari, agnitum sit ab Ictis. Ulpianus enim in l. 19. §. 4. de donat. (§. 1. not. 5.) ex promissione sine tutore facta pupillum obligari dicit, ita ut, si postea tutore auctore promittat, non sit donatio, sed debiti solutio. Apparet ex promissione pupillum locupletio-rem non esse factum. Quodsi Puchta tamen putat, Ulpianum in hac lege pupillum spectare locupletio-rem factum, quoniam tutore auctore facta novatione pupillus semper locupletior fiat<sup>10)</sup>, quasi inepte hoc dictum esse putem, nisi Puchtai sint verba, neque expressim ut refellam, quisquam postulet.

Proinde Scaevola in l. 127. de V. O. (§. 1. not. 10.) adversus pupillum, a quo quis tutore haud adhibito Stichum sit stipulatus, actionem dari negat (nihil igitur ad eum pervenit, namque locupletior si factus fuisset ex hac stipulatione, actionem in eum datam esse manifestum est), fidejussorem vero esse obligatum. Nonne ex his verbis natura debere pupillum id quoque, quod ad eum pervenit, procul dubio constat? Puchta quidem negat, et cur? Fidejussore adhibito, ait, non quaeri, utrum pupillus locupletior factus sit, an non, sed semper fidejussorem teneri<sup>11)</sup>. Sed quae est hujus dicti ratio? Equidem invenire non possum.

<sup>10)</sup> „— ist zu bemerken, dass durch eine tutore auctore geschene Novation das Erforderniss der Bereicherung constatirt, also der künftige Einwand, sie sei nicht eingetreten, ausgeschlossen wird;“ Pandecten l. c. pg. 350. in fin. — Verba legis haec sunt: „Idem (non esse donationem, sed debiti solutionem) in pupillo, qui sine tutoris auctoritate debuerit, dicendum est, si postea tutore auctore promittat.“ Negari non potest, hanc legem in pupillum spectare posse, qui locupletior ex eo, quod debuit, factus fuit, sed eodem jure in pupillum retulisse eam mihi videor locupletio-rem non factum. Utique quomodo Puchta probare studuerit, Ulpianum pupillum in animo habuisse, ad quem aliquid pervenerit, hoc probari non posse etiam qui leviter tantum atque obiter Puchtai verba inspexerit, intelliget.

<sup>11)</sup> „Ferner der Bürge für den Pupillen kann mit diesem Einwand [der mangelnden Bereicherung] nicht gehört werden,

Ulpianus in l. 1. §. 1. de novatt. (§. 1. not. 4.) novationem justam fieri ait, dummodo sequens obligatio aut civiliter teneat, aut naturaliter; naturaliter autem tenere stipulationem a pupillo tutore non auctore contractam. Locupletior si factus fuisset, civiliter eum teneri constat, ex quo sequitur, Ulpianum de pupillo locutum esse, ad quem nihil pervenit. Quomodo igitur fieri potuerit, ut Puchta haec Ulpiani verba ad pupillum referat locupletio-rem factum, intelligere me non posse confiteor.

In ll. 21. pr. ad l. Falc. (§. 1. not. 7.) et 44. de solutt. (§. 1. not. 8.) Paulus et Marcianus pupillum, qui sine tutoris auctoritate pecuniam accepit et deinde a creditore legatum meruerit sub conditione, si mutuum heredi reddiderit, in duas causas numerasse videri dicunt, et in debitum suum (*liberatur naturali obligatione*), et conditionis implendae gratia. Haec verba Ictorum alio modo aptari ad opinionis commentum non potuerunt, quam verbis „die Untersuchung des Erfordernisses [der Bereicherung] fällt aber auch ferner weg, wenn die Zahlung dem Pupillen als Bedingung eines Legats gestellt ist!“

Inter omnes maxime urgenda est l. 95. §. 2. de solutt. (§. 1. not. 11.), ubi Papinianus dicit, creditorem pupilli ex mutuo, quum heres ejus existat, non quanto locupletior factus sit pupillus, consequi, sed in solidum creditum suum ex hereditate retinere. Et quomodo Puchta hujus legis vim ac potestatem frangit? Altera est exceptio, inquit, in confusione enim nihil interest, utrum aliquid pervenerit ad pupillum, nec ne.

Haec longe sufficerent ad Puchtai opinionem rejiciendam ejusque legum interpretationes reprobandas, nec opus esset, alia Romanorum Ictorum fragmenta, quae ejus opinioni obstant, afferre, nisi hic Ictus duo eorum ita perverse ac temere intellexisset atque interpretatus esset iisque subjecisset, quod minime in iis inest, ut fieri nequeat; quin ea omittam.

---

in seiner Uebnahme der Schuld liegt das Uebereinkommen, dass das Erforderniss existire!“ l. c. pg. 367.



In lege enim 64. pr. ad. SC. Trebell. (36. 1.) [§. 1. not. 9.] Marcianus hunc casum tractat: Pupillus quidam sine tutoris auctoritate mutuam pecuniam quum accepisset, pater ejus pro filio testamentum fecit, in quo pupilli heredem institutum rogavit, ut ejus hereditatem Titio restitueret. Qui heres fideicommissarius, quum pupilli creditori, quod ille debuit, solverit, secundum Marciani decisionem solutum non repetet, heres vero fiduciarius, si quid post restitutionem solverit, repetet (si igitur ante restitutionem, non repetere potest), quam repetitionem Marcianus ait, non ob aliud competere, quam quod *a pupillo in Titium naturalis obligatio translata intelligatur*. Sin vero contra, Ictus pergit, creditoris pupilli hereditas ex SC. Trebelliano restituta est et pupillus (nimirum tutore auctore) fideicommissario heredi aliquid solvit, solutum repetere nequit; quod autem pupillus fiduciario heredi post restitutionem hereditatis solvit, utiliter condicet, quod vero ante, non condicet. Quam ob causam in hoc secundo casu pupillus modo repetere possit, modo non possit, Marcianus non dicit, sed dubitari nequit, quin ex eadem causa hoc factum sit, ex qua in prima specie, nempe ob translatam a creditore pupilli in heredem et fiduciarium et fideicommissarium naturalem obligationem.

Puchta hanc legem elidi putat eo, quod dicit, respicere eam in rationem, quae intersit inter heredem fiduciarium et fideicommissarium („Verhältniss des Erben zum Fideicommissar“), sed num credible est, ingenii ejus acumen fugisse, Marcianum contra tractasse rationem, quae interest inter debitorem et debitoris creditorisve heredem fiduciarium et fideicommissarium?

Sed alius legis mentio facienda est, in qua pupillum ex negotio sine tutore contracto naturaliter obligari, libere atque expresse agnitum est, quam vero Puchta non minus temere interpretatus videtur esse, quam ceteras leges. Papinianus enim in l. 25. §. 1. quando dies legati (36. 2.) [§. 1. not. 12] si quis ita legaverit, ait, heres meus Titio dato, quod mihi Sejus debet, Sejus autem pupillus sit, qui absque tutore pecuniam creditam acceperit, locupletior ex ea haud

factus, fieri posse, ut duplici modo testator de hoc legato cogitaverit. Aut enim ipsum debitum, ipsum nomen naturale legatum esse (*petitor ad praesens debitum verba retulit*), ita ut legatarius creditor fiat pro testatore, in hoc casu nullius momenti legatum esse, quia nihil pupillus ita debuerit testatori, ut conveniri possit a legatario; aut non tam nomen naturale, quam id, quod pupillus ex eo forte solverit, legatum esse (*naturalem obligationem et futuram solutionem cogitavit*), ita ut non legatarius pupilli creditor fiat, sed heres, tunc conditionale legatum videri factum esse, nam non secus esse, ac si ita testator dixerit, Titio dato, quod pupillus solverit, scilicet si quidem solverit<sup>12)</sup>.

Accuratius atque planius non videtur agnosci posse naturalis pupilli obligatio, et tamen Puchta non ita esse putat. Primam enim legis partem (verba haec: *et petitor ad praesens debitum verba retulit, quia nihil ejus debet*,

---

<sup>12)</sup> Hoc modo Papiniani verba in lege nostra intelligenda esse puto. Agitur enim de interpretandis testamenti cujusdem legibus et hanc ob causam *petitorem*, quem Papinianus nominat, *testatorem* esse oportet et sic dictus videtur esse, aut quia creditor fuit pupilli, ergo petere ab eo potuit (quamvis inutiliter), aut, quod magis videtur esse, quia ab herede petiit, ut legatum Titio solvat. Accursius jam in glossa ad h. l. et cum multis aliis Puchta quoque eodem modo *petitorem* acceperunt, sed sunt etiam, qui *legatarium* *petitorem* esse putent (Savigny, *Obligationenrecht* Bd. I p. 79. not. z.), ita ut Papinianus agat de diversis rationibus, quibus legatarius legatum sibi utilissimum fore cogitet. Concedendum est, si sola in verba spectemus, utramque interpretationem ferri posse, sed ipsi rei prior interpretatio aptior videtur esse. Ceterum quod ad nostram quaestionem attinet, an Papinianus hac in lege pupillum naturaliter obligatum agnoverit, nullius momenti est, utrum testatorem esse hunc *petitorem* censeamus, an *legatarium*. — Quid valeat legatum nominis naturalis, sive ita legaverit testator, ut legatarius creditor naturalis fiat, sive ita ut heres creditor sit ac legatarius nihil aliud petere possit, quamquod pupillus forte solverit, hac de re infra verba faciam, quum singulos naturalis pupillorum obligationis effectus tractabo. cf. §. 14. nr. 8. p. 53.

*nullius momenti legatum erit*) ostendere dicit, pupillum locupletiolem non factum nec naturaliter obligari. Sed nonne permulta e fontibus loca supra allata sunt, in quibus generaliter ab Ictis dictam est, pupillum non obligari, non teneri, nullam ejus obligationem esse? quibus in locis Icti certe nihil aliud dicere voluerunt, quam non civiliter obligari etc.<sup>13)</sup>, quam ob causam etiam in nostra lege verba *quia nihil ejus debet* ita intelligenda sunt, ac si dixisset Ictus, *quia nihil ejus debet jure civili, quia agi in eum nequit*, praesertim quum in sequentibus legis verbis debitum pupilli *naturalis* esse *obligatio* dicatur, *cujus futura sit solutio*. Longe abest, quin Puchta his verbis sese victum esse confiteatur, immo haec quoque ingenii sui acumine atque sollertia frangit, eo quod dicat<sup>14)</sup> „naturalis obligatio bedeutet hier die rein factische (nicht juristische, nicht einmal allgemein rechtliche) Obligation“. Sed num quis extat in fontibus locus, ubi naturalis obligatio in hac, quam Puchta opinatur, significatione usurpata sit ab Ictis? Ipsum Puchtaum, si adhuc in vivis esset, ejusmodi locum quendam affere posse, vix credam.

Sed haec quidem hactenus<sup>15)</sup>, neque quidquam restat, nisi ut commemorem neminem recentiorum Ictorum in Puchtae partes transiisse, sed omnes una voce, quamvis de ipsa re valde dissentiant, in eo consentire, improbandum esse, quod Puchta protulit.

## §. 12.

Nuperrime Brinzius<sup>1)</sup> novam de pupillorum obligatione opinionem proposuit. Naturaliter enim obligari posse

<sup>13)</sup> cf. §. 1. not. 3. §. 2. not. 12 — 16.

<sup>14)</sup> l. c. p. 351.

<sup>15)</sup> Praeclare Savinius Obligationenrecht, I. p. 67 — 72 omnes leges, de quibus agimus, interpretatus est. cf. Brinz, kritische Blätter nr. 3 p. 15. Keller, der römische Civilprocess u. die Actionen. Leipzig 1852 p. 146. not. 389.

<sup>1)</sup> Kritische Blätter civilistischen Inhalts nr. 3. p. 16. 16. 57.

pupillum sine tutore contrahentem concedit, sed non semper naturaliter obligari. Nam ex mutuo obligari eum naturaliter, item ex negotiis pro alio gestis, ex novatione et ex quacunq̄ promissione, si fidejussores dedisset, non vero ex nuda promissione. Quoties enim Romani Icti ex promissione naturaliter pupillum obligari dicant<sup>2)</sup>, semper fidejussorem eum dedisse, commemorare eos, sin vero fidejussoribus haud adhibitis aliquid promiserit, ne naturaliter quidem eum teneri, ita ut optimo jure Neratius dixerit, *quod pupillus sine tutoris auctoritate stipulanti promiserit, solverit, repetitio est, quia nec natura debet*. Quum igitur sine fidejussoribus pupillus neo civiliter nec naturaliter teneatur, naturalem ejus obligationem fidejussoribus adhibitis in legibus agnitam in eo consistere, quod fidejussores teneantur, pupillum autem ipsum re vera ex promissione nunquam, ne naturaliter quidem obligari<sup>3)</sup>.

Quam de promissione Brinzium proposuit opinionem, eam probandam non esse, quum ex eo elucet, quod ratio ejusmodi exceptionis inveniri non potest, tum praecipue ex ipsis, quae obstant, legibus videre licet. Etsi enim l. I. C. de inut. stip. (8. 39.):

Ex stipulatione, in qua impubes sine tutore auctore spondidisti, non es obligatus,

<sup>2)</sup> l. 127. de V. O. (45. 1.). Gaj. III. 119. l. 35. de recept. (4. 8.). l. 95. §. 4. de solutt. (46. 3.).

<sup>3)</sup> l. c. p. 16: „Da die naturalis obligatio nicht immer alle ihre überhaupt möglichen Wirkungen hat, möchte sie sich mitunter daranf beschränken können, dass der Bürge haftet, wonach sich leicht denken liesse, dass ein Pupill, der ohne Bürgen weder civiliter noch naturaliter haftet, mit Bürgen nur insoweit naturaliter obligirt wird, als der Bürge haftet“. cf. p. 57: „Wenn die naturalis obligatio des Pupillen, der ohne Vormund und schenkungsweise promittirt, einzig und allein seinen Bürgen verbindet, gegen ihn selbst aber keinerlei Rechte erzeugt, so liegt das darin, dass hier die naturalis obligatio durch die Bürgschaft, nicht die Bürgschaft durch die naturalis obligatio besteht,“ ex quibus verbis apparet, Brinzium rationem, quae interest inter debitorem principalem et fidejussorem, minus recte intellexisse.

in medio relinquat, utrum ex jure civili tantum pupillus sine tutore promittens non obligetur, an nec naturaliter, tamen saepius <sup>4)</sup> (neque hoc Brinziius negat) dictum est, pupillum, qui sine tutore alienum debitum novarit, alterum liberare et sese ipsum naturaliter obligare. Quid enim? nonne ejusmodi novatio est promissio? Brinziius quidem negat, quum, si pupillus proprium debitum novet, non donet, *sin* autem alienum, in creditoris persona saltem non sit donatio. Sed quid haec novatio cum donatione? Num sola donatio est promissio?

Praeterea contra Brinzii opinionem idem dici potest, quod contra Weberum et Glueckium dictum est <sup>5)</sup>. Si enim ex promissione fidejussoribus adhibitis solum fidejussorem, pupillum vero non obligari diceremus, accessoriam obligationem statuissimus, quamvis principalis nulla sit, quod vereor, ne non possit probari.

Etiam verba Licinii Rufini in l. 59 de O. et A. conciliari posse cum ceteris pupillorum naturalem obligationem tractantibus legibus putat Brinziius. Ex legibus enim l. locati (19. 2.) et 126. §. 2. de V. O. (45. 1.) consentientia inter se fieri dicta Ictorum censet <sup>6)</sup>. Namque Paulus ait in l. l. locati

*Locatio et conductio, quum naturalis sit et omnium gentium, non verbis, sed consensu contrahitur, sicut emptio et venditio;*

atque idem Paulus in l. 126. §. 2. de V. O.

— quoties pecuniam mutuam dantes, eandem stipulamur, non duae obligationes nascuntur, sed una verborum. Plane si praecedat numeratio, sequatur stipulatio, non est dicendum, recessum a naturali obligatione.

Apparet Paulum locationem et conductionem atque emptionem et venditionem eodemque modo mutuam oppo-

---

<sup>4)</sup> §. 3. l. quib. mod. toll. (3. 29.). Gaj. III. 176. l. l. §. 1. de novatt. (46. 2.).

<sup>5)</sup> cf. §. 9.

<sup>6)</sup> l. c. p. 15. not. 21.

sita stipulatione naturalia nominare, quia hae contractuum formae ex jure gentium originem ducunt<sup>7)</sup>. Quum autem Licinius Rufinus in l. 59. de O. et A. dicat:

*Pupillus mutuum pecuniam accipiendo ne quidem jure naturali obligatur,*

haec Brinzii opinio esse mihi videtur: hoc *ne quidem jure naturali obligatur* idem velle, quod jus gentium non agnoscere pupilli naturalem obligationem ex mutuo sine tutore contracto<sup>8)</sup>.

Hanc vero sententiam, quasi naturali rationi conveniens sit, pupillum ne naturaliter quidem obligari, probare non possum. Immo vero ex solo jure gentium intelligi potest pupillorum naturalis obligatio ex negotiis, quae tutore haud auctore contraxerunt. Namque jus gentium, quum obligatoriam negotiorum vim dijudicet, in singulorum contrahentium naturam atque ingenii statum spectat, ita ut, qui consensum habeat atque iudicium, obligetur, qui vero non intelligat, quid dicatur quidve agatur, obligatione non obstringatur<sup>9)</sup>. Jus civile vero certos aetatis annos ponit (quartumdecimum vel duodecimum annum), ita ut, qui eos superavit, ex quocunque negotio conveniri possit, in eum vero, qui hanc aetatem nactus non sit, actio non detur. Hoc est quod Paulus<sup>10)</sup> ait

*Pupillus sine tutoris auctoritate non obligatur jure civili*

---

<sup>7)</sup> cf. l. 5. de I. et I. (l. 1.). [§. 3. not. 4]. §. 2. I. de jure gent. nat. et civ. (l. 2.) [§. 3. not. 5].

<sup>8)</sup> Ita Puchta quoque (Pandekten §. 237. not. h.) naturali rationi conveniens esse ait, pupillum sine tutoris auctoritate non obligari et provocat hanc sententiam probaturus ad Gaj. III. 189. Sed allatis Gaji verbis minime eam probari, modo dixi cf. §. II. not. 7.

<sup>9)</sup> Quod ad obligationes ex delicto attinet; adhuc in jure Iustiniano hoc juris valet, ut ei tantum pupillo imputetur delictum, qui doli capax sit. cf. §. 2. not. 6.

<sup>10)</sup> l. 43. de O. et A. (44. 7.).

Si quis pupillo solverit sine tutoris auctoritate id, quod debuit, exque ea solutione locupletior factus sit pupillus, restissime dicitur exceptionem petentibus nocere; nam et si mutuum acceperit pecuniam, vel ex quo alio contractu locupletior factus sit, dandam esse exceptionem.

Paulus lib. VI. ad Sabinum<sup>9)</sup>:

Pupillo solvi sine tutoris auctoritate non potest. Sed nec delegare potest, quia nec alienare ullam rem potest; si tamen solverit ei debitor, et nummi salvi sint, petentem pupillum doli mali exceptione debitor summovebit.

Marcianus lib. IV. Regularum<sup>10)</sup>:

In pupillo, cui sine tutoris auctoritate solutum est, si quaeratur, quo tempore sit locupletior, tempus, quo agitur, inspicitur; et ut exceptio doli mali posita ei noceat, tempus, quo agitur, spectatur.

In omnibus vero his legibus longe aliud dictum est, quam quod Brandis contendit. Gajus enim et Justinianus et Paulus in l. 15. de solutt. debitorem ajunt, qui sine tutoris auctoritate pupillo aliquid solverit, ab obligatione sua non liberari et pupillum eandem summam denuo petere posse. Tantum si nummi adhuc extent aut pupillus locupletior ex iis sit, pupillum petentem doli exceptione a debitore summoverti. Sed quodsi debitor solutione sine tutoris auctoritate facta non liberatur, cur ex hoc sequitur, debitori, omnino exceptiones in petentem pupillum denegatas esse, nisi locupletior factus sit pupillus? Multo minus illud Marciani probat, quod Brandis probari eo putat. Nam quum ejus, quod ad pupillum pervenit, et doli mali exceptionis, quae debitori in pupillum competit, qui ex solutione absque tutore facta locupletior sit, in una eademque lege mentio fit, num hanc ob rem debitor nunquam supra id, quod ad pupillum pervenit, exceptionibus cum effectu utetur? Verum etiam quod Paulus in l. 13. §. 1. de cond. indeb. dicit, huc non spectat, quum in hoc

<sup>9)</sup> l. 15. de solutt. (46. 3.).

<sup>10)</sup> l. 47. pr. eod.

casu exceptio creditori data sit, non quia pervenit aliquid ad pupillum, sed quia pupillus pubes factus, i. e. eo tempore, quo recte sine tutoris auctoritate solvere potuit, solvit, et quum; si a contrario, ut ita dicam, argumentamur, nihil aliud ex dicta lege colligatur, nisi impuberem, quod sine tutore solverit nec locupletior factus sit, repetere posse. Denique multum abest, quin Ulpiani verbis id, quod Brandis probari iis putet, re vera probetur. Ictum enim eum tantum casum in animo habuisse manifestum est, in quo pupillus, quod ex mutua pecunia aliove contractu locupletior factus debuit et solvit, repetens doli exceptione summovetur, quoniam et quantum locupletior factus est: sane longe aliud, quam creditori in pupillum ex aliquo negotio agentem exceptiones denegatas esse supra id, quod locupletior factus est pupillus<sup>11)</sup>.

Rectum vero est, quod Brandis ait, pupillum, quod tutore haud adhibito solverit creditori suo, repetere posse neque competere creditori soluti retentionem. Nam quum omnino nihil alienare liceat pupillo sine tutore, neque quod solverit, accipientis fiat, naturale quoque debitumolvere nequit, nisi tutor auctoritatem interposuerit, quare si quid tamen solverit, repetere eum posse manifestum est<sup>12)</sup>.

<sup>11)</sup> cf. Vangerov, l. c. p. 596.

<sup>12)</sup> cf. §. 2. l. quib. alien. lic. (2. 8.). l. 19. §. 1. de reb. cred. (12. 1.). l. 29. l. 41. de cond. indeb. (12. 6.). l. 9. §. 2. de auct. tut. (26. 8.). l. 14. §. 8. de solutt. (46. 3.). — Actio, quacum pupillus, quod sine tutore solvit, repetit, aut rei vindicatio est, nempe si nummi soluti adhuc apud creditorem extant (non enim fit accipientis, quod pupillus absque tutore solverit §. 2. l. cit.), aut condictio sine causa, si consumpti sunt. (*Et si quidem extant nummi, vindicabuntur, consumptis vero condictio locum habebit* l. 29. de cond. indeb.). — Quodsi praeceptor illustrissimus Rudorffius (Vormundschaft Bd. II. p. 290.) repetere posse pupillum, quod sine tutore solverit, plane negat, probari non potest, quum et ipsa pupillorum natura soluti retentionem excludat et directa permultarum legum obstant verba. Provocat Rudorffius suam sententiam probaturus ad complures leges [l. 13. §. 1. l. 14. de cond. indeb. l. 42. pr. de iure jur. (12. 2.). l. 21. pr. ad l. Falc. (35. 2.). l. 25. §. 1. quando dies legi-



Quam vero in omnibus ceteris naturalis obligationis speciebus debitor solutionem a sese ipso factam impugnare non possit, sed soluti repetitio doli exceptione summoveatur, leviter tantum et parum diligenter rem inspicientibus pupillus facile videri potuit ex negotiis sine tutoris auctoritate contractis omnino non obligari naturaliter. Quod si consideramus, haud difficile erit intelligere, quomodo fieri potuerit, ut Neratius dicat, pupillum quod sine tutoris auctoritate stipulanti promiserit et solverit, repetere, *quia nec natura debeat*, atque Licinius Rufinus ex pecunia a pupillo sine tutore mutuo accepta naturalem obligationem nasci negaret, quia, si quid creditori absque tutore solvisset, conditione sine causa hoc repetere posset<sup>13</sup>).

Re vera autem proprietatem naturalis pupillorum obligationis hoc esse non putes, nam ex ipsa solventis natura (*persona locum facit repetitioni* l. 29. de cond. indeb.) sequitur, pupillum, sicut absque ulla obligatione alienare nummos rite non possit, ita etiam ex obligatione naturali sine tutore solvere non posse. Iustam vero solutionem, i. e. tutore auctore factam pupilli naturalis obligatio eodem modo pa-

---

(36.2.). l. 19. §. 4. de donatt. (39. 5). l. 44. l. 95. §. 2. de solutt. (46.3).], in quibus repetitio quidem soluti pupillo est interdicta, sed aut ejus soluti, quod factus erat locupletior ex negotio, aut ejus, quod tutore auctore solverat, et tunc cessare repetitionem manifestum est. Namque pupillus, qui, si quid ad eum pervenit, sine tutore solvit et repetiit, doli exceptione summovetur, et hoc est, quod Paulus et Pomponius in l. 13. §. 1. l. 14. de cond. indeb. dixerunt; itemque si pupillus a naturali obligatione tutore auctore liberatus solum repetere vellet, doli exceptio ei obstaret, ad quem casum ceterae a Rudorffio allatae leges referendae sunt. cf. Vangerov, l. c. p. 595.

<sup>13</sup>) Eodem modo Fritzius (Erläuterungen Hft. III. p. 272.) composuit, quod inesse videtur discidii in verbis Neratii et ceterorum Ictorum dictis. Nam in rationibus decisionum invenientis non ita excelluisse Romanos Ictos, quam in ipsis decisionibus, ita ut verba *quia nec natura debet* urgenda non sint. Sed de lege 59. de O. et A. ut jam supra dixi (§. 4. not. 1.) Fritzius cum iis consentit, qui antinomiam ponunt.

titur, sicut ceterae naturalis obligationis species. Ex civili vero obligatione, verbi gratia, quum locupletior factus est ex negotio, pupillum etiam sine tutore juste solvere posse apparet, quum ut solvat, per judicem cogi possit et saepius in legibus dictum sit, pupillum ejusmodi solutionem repentem doli exceptione summoverti<sup>14)</sup>.

Si vero non ipse pupillus, sed heredes ejus solverunt, creditor solum retinet neque heredes condicere possunt, quod solverunt, quippe quibus alienatio non sit interdicta<sup>15)</sup>.

Brandis vero quum id quoque pupillum, quod tutore haud adhibito heredibus creditoris solverit, condicere posse neget, plane errare videtur. Fontibus quidem juris Romani Brandis hanc suam sententiam fundari censet, sed legibus illis, ad quas provocat<sup>16)</sup>, nihil probari apparet, quum, quod pupillus heredibus creditoris solverit, tutore non auctore eum solvisse, solutionem igitur ob interventum novarum personarum justam esse, minime in iis dictum sit, quamvis quidem tutore adhibito pupillum solvisse non magis Icti dicant. Quum igitur solutionem a pupillo factam justam fuisse, quia tutore auctore facta sit, putare liceat nec aliis legibus, quod Brandis censet, probetur, secundum ea, quae valent generatim de pupillorum agendi facultate principia dijudicandum videtur esse, utrum justa sit solutio a pupillo sine tutoris auctoritate creditoris heredibus facta, an impugnari possit. Secundum haec vero pupillus non magis juste creditoris heredibus sine tutore solvit, quam ipsi creditori, nam omnis alienatio pupillis interdicta est<sup>17)</sup>, non solum satisfactio ipsius creditoris et eo, quod ad heredes

<sup>14)</sup> Manifestissimus igitur est error Antonii Fabri, qui Rational. ad l. 28. de pactis repetere posse pupillum dicit, et quod ex obligatione civili sine tutore solverit, et ex obligatione naturali cum tutoris auctoritate.

<sup>15)</sup> l. 64. pr. ad Sc. Trebell. (36.1.). l. 95. §. 2. de solutt. (46.3.).

<sup>16)</sup> l. 21. pr. ad l. Falc. (35.2.). l. 64. pr. ad Sc. Trebell. (36.1.). l. 25. §. 1. quando dies legati (36.2.). l. 44. de solutt. (46.3.), quae omnes leges in hujus dissertationis §. 1. leguntur.

<sup>17)</sup> §. 2. J. quib. alien. lic. (2.8.). l. 14. §. 8. de solutt. (46.3.).

creditoris solutio facta est, illa generalis alienationis prohibitio minime mutatur <sup>19)</sup>).

§. 14.

Naturaliter igitur obligatur pupillus absque tutore contrahens atque ex hac naturali obligatione haec intelligenda sunt.

1. Si quis pupillum sine tutoris auctoritate debitorem suum fecerit atque pupillus ex hoc sive ex alio negotio contra eum egerit, reus nomen suum compensare potest, nam etiam quod natura debetur, ut ait Ulpianus <sup>1)</sup>, venit in compensationem et de negotiis a pupillo gestis idem Ulpianus <sup>2)</sup> compensationem creditori concedit <sup>3)</sup>).

2. Si quis pro pupillo sine tutoris auctoritate obligato intercesserit, tenetur ex fidejussione. Compluribus legibus haec fidejussoris obligatio agnita est, ita a Gajo lib. V. ad Edictum provinciale <sup>4)</sup>:

Si pupillus sine tutoris auctoritate compromiserit, non est arbiter cogendus pronuntiare, quia, si contra eum pronuntietur, poena non tenetur, *praeterquam si fidejussorem dederit, a quo poena peti possit*, et a Pomponio libr. XXII ad Sabinum <sup>5)</sup>:

Et commodati et depositi fidejussor accipi potest; *et tenetur, etiamsi apud servum vel pupillum depositum commodatumve fuerit*, et ab Ulpiano lib. XI ad Edictum <sup>6)</sup>:

<sup>19)</sup> cf. Vangerov, l. c. p. 595.

<sup>1)</sup> l. 6. de compensatt. (16. 2.).

<sup>2)</sup> l. 3. §. 4. de neg. gest. (3. 5.)

<sup>3)</sup> Iam supra p. 28. notatum est, Bachovium Echtium et Huberum atque Vinnium absque ulla ratione jus compensationis creditori denegasse et p. 30. not. 12., Brandisium et Christiansenium tantum id, in quod locupletiozem fecerit pupillum creditor, eum compensare posse opinari.

<sup>4)</sup> l. 35. de receptis. (4. 8.).

<sup>5)</sup> l. 2. de fidejuss. (46. 1.).

<sup>6)</sup> l. 25. eod.

Marcellus scribit, *si quis pro pupillo sine tutoris auctoritate obligato*, prodigove vel furioso fidejusserit, *magis esse, ut ei non subveniatur*, quoniam his mandati actio non competit.

Maximam haec Ulpiani verba doctoribus paraverunt difficultatem <sup>7)</sup>. Quum enim multis tanto aequius videretur, fidejussori subveniri, quod mandati actionem contra pupillum non habeat, sublata negatione sic legunt: *magis esse ut ei subveniatur*, ut congruat ratio, quae sequitur: *quoniam his mandati actio non competit*.

Alii sunt, qui non subveniri fidejussori probantes, sed rationem Ulpiani refutantes, *quoniam mutent in quamquam*, aut *quoniam his in quamvis*.

Antonius Faber denique vocem obligato delet, ut sic accipi debeat lex, pupillus mandavit alicui, sed sine tutoris auctoritate, ut fidejuberet pro ipso. Tunc enim mandati actionem non competere fidejussori, quia sine tutoris auctoritate pupillus mandaverit.

Omnes vero has emendationes ut rejiciamus, opus videtur esse et ut verba Ulpiani omnino non mutemus. Neque enim quidquam iniustum in eo inest, quod non subveniatur fidejussori, qui pro pupillo sine tutoris auctoritate obligato intercessit, quum sibi ipse fidejussor imputare debeat, quod tutore haud adhibito fidejusserit. Scire enim debuit sese mandati aut negotiorum gestorum actionem non habere, nisi locupletiore fecerit pupillum ex fidejussione <sup>8)</sup>. Verum etiam ratio, cur Ulpianus fidejussori non subveniri dicit, nimirum quoniam his, i. e. fidejussoribus <sup>9)</sup>

<sup>7)</sup> cf. hac de lege Ant. Faber, conjecturae lib. VIII. cap. 5. et 6., ubi aliorum emendationes refert et refutat suamque interpretationem uberius probare studet.

<sup>8)</sup> l. 19. pr. de R. I. (50.17.): *Qui cum alio contrahit, vel est, vel debet esse non ignarus conditionis ejus.* cf. arg. l. 13. §. 2. de P. A. (6. 2.). l. 7. §. 2. de instit. act. (14. 3.). l. 27. de contr. empt. (18. 1.).

<sup>9)</sup> Marcellum plurali numero (*his*) pergere, quamvis antea singulari (*si quis, ei*) usus sit, neminem offendet, quum de pluribus fidejussoribus (pupilli et furiosi et prodigi) loquatur.

mandati actio non competit, perquam justa est et eleganter dicta. Si enim non succurreretur fidejussori, quamvis ex mandato agere posset contra pupillum, hoc ipsum eveniret, quod legibus vetitum est, pupillum sine tutoris auctoritate civiliter obligari, deteriorem igitur absque tutore conditionem suam facere posse. Ergo non tantum aequum, sed etiam necessarium fuisset, fidejussori subveniri, cui mandati actio concessa esset adversus pupillum, ideoque quum mandati actio ei non competat, necesse fuit, ut ei non subveniatur, ne creditoris pupilli conditio deterior fiat.

3. Pignus quoque constitui posse pro naturali pupillorum obligatione dicendum est<sup>10)</sup>. In legibus enim etsi nihil ejusmodi inveniatur, tamen ex ipsa pignoris natura hoc apparet, quippe quod pro quacunque obligatione dari posse, *vel pro civili, vel honoraria, vel tantum naturali* Marcianus dicat<sup>11)</sup>. Et ita quidem valet pignus, ut, quamvis in pupillum actio non competat, tamen debitor pigneraticius utiliter conveniatur<sup>12)</sup>. Sunt quidem Icti, qui firmissimum esse pignus quam debitum pigneraticium ob accessoriam pignoris naturam negent<sup>13)</sup>, sed ex hac accessoria natura nihil sequitur, quum dictum illud, pignus accessoriam prae se ferre naturam, nihil aliud velit, quam necesse esse, obligatio aliqua principalis sit, ad quam pignus accedere possit, minime vero, accessoriae

---

<sup>10)</sup> cf. Buechel, l. c. p. 134.

<sup>11)</sup> l. 5. pr. de pignor. (20. 1.).

<sup>12)</sup> Sed tum tantum firmissimum est pignus, quam debitum pupilli naturale, quum non ipse pupillus, sed extraneus id constituit. Nam ipse pupillus sine tutoris auctoritate hypothecam dare non potest [l. 1. pr. quae res pignori (20. 3.)], quum omnino nihil alienare ei liceat. Verum etiam ne tutore quidem auctore rite pignus constituitur secundum orationem Severi, sed iudicis decretum exposcitur, ut utilis sit rei obligatio a pupillo tutore auctore facta [l. 1. §. 2. de reb. eorum. (27. 9.)].

<sup>13)</sup> Ita praesertim Weher, natürliche Verbindlichkeit §. 107. Alios videbis allatos apud Vangerovium, Pandecten Bd. I. §. 364. Anmkg. 2.

obligationis vim majorem esse non posse, quam principalis. Contra a Paulo <sup>14)</sup> ita expresse dictum est, creditori, quem debitor pigneraticius heredem instituerit et rogaverit, ut hereditatem filiae suae restituat, post restitutionem *non tantum retentionem, sed etiam petitionem pignoris nomine competere*, et a Gajo <sup>15)</sup>, *nullum pignus esse, cujus persecutio negetur*, et a Marciano <sup>16)</sup>, *suas condiciones habere actionem hypothecariam*, ut dubitari nequeat, quin ex pignore ob obligationem dato, quae jure civili quidem nulla, tamen in jure gentium agnoscatur, non solum retentio competit creditori, sed etiam actio.

Quoties vero de ejusmodi naturali obligatione agitur, quae ipso jure quidem utilis, sed ob exceptionem in odium creditoris introductam in naturalem mutata est, pignus haud raro, ut ita dicam, ipsum naturale est, in iis enim casibus, in quibus exceptio non solum ipsi debitori, sed etiam ei, qui per accessionem obligatus est, competit, quod uberius exponere hic non est locus <sup>17)</sup>.

4. Deinde obligatio pupilli et novari potest, nam Ulpianus <sup>18)</sup> ait, nihil interesse in novatione, qualis praecedat obligatio, *utrum civilis, an naturalis*, et ipsi pupillo novationem facere licet obligationis extranei, ita ut prior debitor liberetur, quamvis pupillus tantum naturaliter teneatur. Hoc et a Gajo <sup>19)</sup> et a Justiniano <sup>20)</sup> et ab Ulpiano <sup>21)</sup> dictum est. Sed quid? Paulus lib. LXXII ad edictum <sup>22)</sup> haec ait:

*Pupillus sine tutoris auctoritate non potest novare.*

<sup>14)</sup> l. 59. ad Sc. Trebell. (36. 1.).

<sup>15)</sup> l. 27 de noxal. action. (9. 4.).

<sup>16)</sup> l. 13. §. 4. de pignor. (20. 1.).

<sup>17)</sup> cf. Vangerov, l. c. §. 364. Buechel, l. c. p. 130 sqq. praesertim p. 144 sqq.

<sup>18)</sup> l. 1. §. 1 de novatt. (46. 2.).

<sup>19)</sup> Comment. III. 176. (§. 1. not. 3.).

<sup>20)</sup> §. 3. J. quib. mod. toll. obl. (3. 9.). [§. 1. not. 3.].

<sup>21)</sup> l. 1. §. 1. de novatt. (46. 2.) [§. 1. not. 4.].

<sup>22)</sup> l. 20. §. 1. eod.

Nonne haec verba directe obstant et novationem per pupillum factam inanem atque inutilem esse dicunt? Omnes quidem Icti, qui nostra de quaestione scripserunt, hoc fragmentum plane negligentes novare posse pupillum extranei obligationem auctoribus illis Gaji, Justiniani, Ulpiani dictis agnoverunt, sed multum abest, quin equidem ob Pauli verba allata negem, pupillum novatione alium liberare posse ab obligatione, nam facile conciliari videntur cum dictis ceterorum Ictorum et imperatoris Justiniani. Paulus enim verbis allatis nihil aliud dicere voluit, quam pupillum, qui sine tutoris auctoritate novavit obligationem extranei, sese ipsum non eodem cum effectu posse obligare, quo is, cujus obligationem novaverit, obligatus fuit, neque negare voluit, pupillum novando eum liberare, cujus obligationis novationem fecit. Hunc verum esse sensum verborum Pauli eo magis apparet, quum ratio inveniri non possit, cur Paulus, qui pupillum sine tutore contrahentem naturaliter obligari agnoscit<sup>23)</sup>, ex novatione eum naturaliter obligari et hanc ob causam alterum liberare negaverit.

5. Constitutum adhiberi potest in pupilli obligatione et quidem per ipsum pupillum tutoris auctoritate interposita<sup>24)</sup> (constitutum debiti proprii), namque non est donatio, ut ait Ulpianus<sup>25)</sup>, sed *debiti solutio*, si pupillus, quod sine tutoris auctoritate debuit, postea tutore auctore promisit, et per extraneum (constitutum debiti alieni). Eodem enim modo, quo pro pupilli naturali obligatione fidejuberi potest, etiam dicendum est, constitui posse per extraneum, si quid pupilli naturale debitum extet, quum Ulpianus<sup>26)</sup> debitum vel natura sufficere ad constitutum dicat.

---

<sup>23)</sup> l. 21. pr. ad l. Falc. (35. 2.) [§. 1. not. 7.].

<sup>24)</sup> Sine tutoris auctoritate enim pupillus, sicut stipulatione aliave contrahendi forma obligari civiliter nequit, ita etiam pecuniam juste constituere non potest. cf. l. 1. §. 2. de pecun. const. (13. 5.).

<sup>25)</sup> l. 19. §. 4. de donatt. (39. 5.) [§. 1. not. 5.].

<sup>26)</sup> l. 1. §. 7. de pecun. const. (13. 5.).

6. Etiam cedere posse creditorem nomen suum naturale, quod habet in pupillum, apparet, quamvis expressim in legibus non dictum sit. Namque quum cessionarium, quod ad civiles obligationes, et actionibus et exceptionibus uti posse, procul dubio sit, concedendum est, naturales quoque obligationes cedi posse, quas non nisi exceptionibus persequi licet<sup>27</sup>). Itaque si cui naturalis in pupillum obligatio cessa est, cessionario omnia cedentis jura transferuntur, praesertim jus compensandi.

7. Si quid creditoris heredibus sive a pupillo tutore auctore, sive ab heredibus pupilli solutum est, in quartam Falcidiam ab iis imputatur, et ita quidem, ut, quamvis ipse pupillus conditionis implendae causa, ut legatum aliquod acquirat, solverit, tamen heredes accepta in quartam imputare coguntur<sup>28</sup>), ex quo apparet pupillum obligatum fuisse et solutionem fecisse debiti hereditarii. Nam si quid conditionis implendae causa heredibus solutum sit, hoc in quartam nunquam imputatur, quum titulo singulari acquiratur<sup>29</sup>).

8. Legari quoque potest, quod pupillus ex negotio sine tutore contracto naturaliter debet et duplici quidem modo hoc legatum intelligere licet. Aut enim, Papinianus inquit<sup>30</sup>), ipsum debitum, ipsum nomen naturale legatum est (quasi ipse debitor), aut id tantum, quod pupillus forte ex debito suo solverit. In primo casu dicit nullius momenti legatum esse, quia nihil pupillus testatori debuerit. Sed apparet non plane justum a Papiniano hoc dictum esse, utique enim naturaliter pupillus debuit et sola actio creditori ad persequendum nomen suum non competiit, ex quo sequitur, lectum tantum ob defectum

---

<sup>27</sup>) cf. arg. l. 64. pr. ad Sc. Trebell. (36. 1.). l. 17. de hered. vel act. empt. (18. 4.). cf. Vangerov, Pandecten III. p. 107.

<sup>28</sup>) l. 21. pr. ad l. Falc. (35. 2.) [§. 1. not. 7.]. l. 44. de solutt. (46. 3.) [§. 1. not. 8.].

<sup>29</sup>) l. 21. pr. l. 76. ad l. Falc.

<sup>30</sup>) l. 25. §. 1. quando dies leg. (36. 2.) [§. 1. not. 12.]. cf. quod supra §. 11. in fin. hac de lege dictum est.



actionis nullius momenti esse debiti naturalis legatum dixiss. Sicut enim quum civile nomen legatum est, legatario utilis actio in defuncti debitorem competit aut directa actio mandata<sup>31)</sup>, ita si naturale nomen legatum est, exceptiones ceteraque jura, quae testator ex naturali obligatione habuit, utilia legatario competere dicendum est, quo fit, ut legatarius in ejusmodi casu compensatione juste utatur eodemque modo, si hypothecarium sit debitum pupilli, Servianam actionem vel quasi in eum instituat.

Aliud vero juris valet, quum ita legatum est, ut in secunda specie posuimus. Nam tunc, Papinianus dicit, tacite conditionem insertam esse videri, si quidem pupillus solverit. Putes fortasse conditionale hac re legatum fieri, ita ut dies legati non morte testatoris, sed demum quum pupillus solverit, cedat, sed ita res sese non habet, namque, ut ait Papinianus<sup>32)</sup>, conditiones extrinsecus, non ex testamento venientes, i. e. quae tacite inesse videantur, non faciunt legata conditionalia, et in nostra lege expressim haec addit idem Ictus:

Contrarium non est, quod, si medio tempore legatarius moriatur, et postea — pecuniam pupillus exsolvat, heres legatarii petitionem habet; namque dies legati, cui conditio non adscribitur, quamvis extrinsecus exspectanda sit, cedit.

Aliud igitur necesse est intersit inter legatum ipsius nominis et legatum soluti et hoc in eo inesse mihi videtur, quod legatario non competunt omnia ea jura, quae habebat testator ex debito pupilli, sed quod haec heredis fiunt et legatarius nihil aliud ab herede petere potest, quam ut, quod forte pupillus solverit vel alio modo heres ab eo consecutus sit, ipsi restituatur.

9. Denique ex naturali pupillorum obligatione sequitur, ut, si quis rem vendiderit adhibita in diem additione et pupillus intra tempus sine tutoris auctoritate pluris

---

<sup>31)</sup> cf. l. 18. C. de legat. (6. 37.).

<sup>32)</sup> l. 99. de cond. et demonst. (35. 1.).

**emerit consentiente venditore, prior emptio nulla sit, quamvis ex posteriore venditor tantum teneatur nec emptor<sup>23)</sup>.**

### §. 15.

De pupillorum naturali obligatione quae modo tractavimus, ad singula negotiorum genera ut adhibeantur, necesse videtur esse.

Obligationes unilaterales, ut ajunt, facile erit, quid juris habeant, invenire. Pupillum enim, si sine tutoris auctoritate creditor est, in solidum convenire posse creditorem, constat eodemque modo contra pupillum, si debitor est ex promissione, actionem non dari (pervenisse enim ad eum quidquam nequit), et ipsum, si quid absque tutore solverit, repetere posse. Exceptiones vero patitur pupillus in solidum ac fidejussores tenentur, nec non tutore auctore juste solvere potest pupillus.

Quid vero valeat de negotiis bilateralibus, quae dicuntur, quae pupillus tutore haud adhibito contraxerit, valde dubitatur inter Ictos. Plurimi enim eorum, inter quos Puchta<sup>1)</sup> quoque et Savinius<sup>2)</sup>, quum veteres jurisperiti claudicantium negotiorum iis dederint nomen, claudicantem eorum, ut ita dicam, naturam in eo inesse putant, quod tutoris sit, aut ratum habere contractum, ita ut perinde sit, ac si ab initio rite contractum sit, aut plane improbare, ut neutrius partis in posterum obligatio sit. Claudicantem igitur naturam in solam hanc quaestionem referunt, num omnino obligatio existat („auf die Existenzfrage der Obligation“ Puchta l. c.), cujus decisio ei competat, qui non sit obligatus. Hanc esse indolem ac naturam claudicantium negotiorum primum negavit Brandis<sup>3)</sup>,

---

<sup>23)</sup> l. 14. §. 3. de in diem addict. (18. 2.).

<sup>1)</sup> Pandecten §. 232.

<sup>2)</sup> System Bd. III. p. 40.

<sup>3)</sup> In disputatione citata „Ueber absolute und relative Nichtigkeit“ p. 121 sqq. p. 133 sqq.

qui eorum vim eam esse censet, ut alter contrahentium obligatus sit, alter vero non, atque ad universa ex recentioribus Ictis eum secuti sunt Vangerovius<sup>4)</sup>, Wenning-Ingenheimius<sup>5)</sup>, Fritzius<sup>6)</sup> et Sintenis<sup>7)</sup>, quamvis una in re ab eo discrepent.

Equidem puto, et ex ipsa re et ex legibus eam tantum de negotiorum claudicantium natura atque indole sententiam explicari posse atque probari, quam Vangerovius ceterique modo dicti jurisperiti defenderunt. Nam qui communem opinionem sequuntur, relative seu respective nulla esse negotia claudicantia dicunt, ita ut pupillus vel potius tutor ejus ex suo arbitrio aut ratum habere aut plane improbare possit negotium, alter vero, qui cum impubere contraxit, ad hanc nullitatem provocare nequeat. Sed hanc, quae dicitur, respectivam nullitatem esse inconstantiam juridicam — sit venia verbis — putem, quum absurdum videatur esse, idem negotium simul aliis existere, aliis non existere<sup>8)</sup> et praetera ejusmodi inter contrahentes ratio abhorrere videtur a principiis juris Romani, nam *iniquum est, ut Paulus*<sup>9)</sup> ait, *non esse mihi cum illo actionem, si nolit, illi vero, si velit, mecum esse.*

Jam quum ex re ipsa relativa nullitas recusanda sit, praesertim quod ad negotia impuberum claudicantia attinet, permultis Romanorum Ictorum fragmentis confirmatum est atque comprobatum, tantum pro parte („theilweise Nichtigkeit“ ut ait Brandis) nulla esse negotia, quae tutore haud adhibito pupillus contraxerit, hoc est quod ad pupillum obligationem civilem non existere, nisi in

---

<sup>4)</sup> Pandecten Bd. I. p. 597. cf. Bd. II. p. 309.

<sup>5)</sup> Civilrecht. 5. Aufl. p. 111. (in editione quarta alteram adhuc defendit sententiam).

<sup>6)</sup> Erläuterungen. III. p. 273 sqq.

<sup>7)</sup> Civilrecht. Bd. I. p. 142. not. 25.

<sup>8)</sup> Ne uberius ac planius quaestionem de absoluta et relativa nullitate tractem, quum spatii fines impediunt, satis habeo Brandisii disputationem p. 121 sqq. conferri jubere.

<sup>9)</sup> I. 3. §. 2. mandati (17. 1.).

quantum locupletior factus sit, alterum vero civiliter in solidum obligari. Namque quamvis Ulpianus lib. XXXII. ad Edictum<sup>10)</sup> dicat:

*Si quis a pupillo sine tutoris auctoritate emerit, ex uno latere constat contractus; nam qui emit, obligatus est pupillo, pupillum sibi non obligat,*

et ipse Justinianus<sup>11)</sup>:

*Unde in his causis, ex quibus mutuae obligationes nascuntur, — si tutoris auctoritas non interveniat, ipsi quidem, qui cum his contrahunt, obligantur, at invicem pupilli non obligantur,*

quae verba communi cum opinione consentire minime videntur et non nisi quod Brandis censet sequamur, intelligi possunt: tamen majoris esse momenti ad probandam nostram quaestionem Pauli verba puto, quae leguntur in l. 7. §. 1. de resc. vend. (18. 5.). Posteaquam enim hanc Ictus proposuit quaestionem:

*Si sine tutoris auctoritate pactus fuerit [pupillus], ut discedatur ab emptione, an perinde sit, atque si ab initio sine tutoris auctoritate emisset, ut scilicet ipse non teneatur, sed agente eo retentiones competant,*

ejusmodi addit decisionem:

*Sed nec illud sine ratione dicetur, quoniam initio recte emptio sit contracta, vix bonae fidei convenire, eo pacto stari, quod alteri captiosum sit; et maxime si justo errore sit deceptus.*

Secundum enim eas rationes, quas supra de pupillorum contractibus attulimus, hoc pactum sine tutoris au-

---

<sup>10)</sup> l. 13. §. 29. de A. E. V. (19. 1.). cf. l. 5. §. 1. de auct. tut. (26. 8.). l. 7. §. 1. de resc. vend. (18. 5.): Si pupilli persona intervenit, qui ante sine tutoris auctoritate, deinde tutore auctore emit, quamvis venditor jam ei obligatus fuit, tamen quia *pupillus non tenebatur*, renovata venditio efficit, ut invicem obligati sint.

<sup>11)</sup> pr. J. de auct. tut. (1. 21.).

toritate adjectum, ut discedatur ab emptione rite contracta, id efficere debuit, ut periinde esset, ac si ab initio sine tutoris auctoritate emisset pupillus, h. e. ac si claudicantem emptionem contraxisset. Secundum Puchtaum igitur et Savinium tunc aut ratum habere debuit tutor pactum adjectum, ergo priorem rite contractam emptionem extinguere, aut improbare pactum, quo factum esset, ut prioris emptionis effectus essent restituti. Secundum vero nostram de negotiis claudicantibus pupillorum opinionem, pupillus ut hoc pacto liberaretur, opus erat, venditor vero non, h. e. ut venditor priore contractu staret, rem venditam igitur traderet, pupillus vero, quamvis rem accepisset, tamen ut pretium solveret, non cogebatur. Paulus vero in decisione allata *vix bonae fidei convenire*, ait, *eo pacto stari, quod alteri captiosum sit*, dicit igitur Ictus, in priore justa emptione perserverandum esse, quamvis inter emptorem et venditorem convenerit, ut discedatur ab emptione, cujus decisionis rationem addit hancce, *captiosum esse venditori, si hoc pactum probetur*. Captiosum vero pactum tum tantum ei esse potuit, quum hoc eo effici putamus, quod Brandisius censet, tum enim venditor jura ex priore venditione quaesita amittere videretur, suis obligationibus haud liberatus. Quò autem modo captiosum ei esse potuit, si quod Puchta et Savinius proposuerunt, sequimur? Quodsi enim ratum habuerat tutor pactum, ut discedatur ab emptione, hoc minime erat captiosum, nam ipse convenerat emptionemque rescindi voluerat; neque magis esset ei captiosum, si rejecerat pactum tutor, quo hoc ipsum efficeretur, quod lege cautum est, ne pactum captiosum sit. Neuter enim pacto obligaretur, sed recte contracta emptio servaretur<sup>12)</sup>.

Quae quum ita sint, communem opinionem de natura et indole claudicantium, quae dicuntur, negotiorum impuberum laudare non possum.

---

<sup>12)</sup> cf. Brandis l. c. p. 164. 165.

Iniquum forsitan et grave videatur, ab altero tantum contrahentium praestationem ejus, quod conveit, peti, alteri nihil solvendum esse, quamvis adversarii praestationem accipiat. Sed valde deminuitur hoc atque lenitur, quum, quod supra exposuimus, naturaliter tamen pupillus obligetur, alteri igitur, qui cum eo contraxerit, exceptiones competant<sup>13</sup>). Praesertim quum pupillus, ut solvat alter, quod debeat, egit, quamvis, quod ultra debeat, praestaturus non sit, munitus est reus exceptione non adimpleti contractus, ut ajunt recentiores lecti, per quam in solidum consecuturus est, quod ipsi debetur. Quodsi enim Brandis in l. 3. §. 4. de neg. gest. et in Pauli verba modo allata haec:

— *ut scilicet ipse non teneatur, sed agente eo retentiones competant.*

nisus tantum in quod locupletior factus est pupillus, exceptiones eum pati putet, id jam supra refellisse mihi videor. Et hoc est, in quo dissentimus ab illa opinione, quam Brandis de pupillorum claudicantibus negotiis protulit.

## §. 16.

Restat, ut, quod uberius modo de pupillorum naturali obligatione exposui, paucis concludam:

1. Ex delicto pupillus, si quidem doli capax sit, atque ubi ex re actio venit, rite obligatur, ita ut conveniri possit.

2. Item civiliter obligatur pupillus, qui sine tutore contraxit, ita ut agi in eum possit, in quantum locupletior factus est.

---

<sup>13</sup>) Sin tamen ei non satisfiat, suae ipsius negligentiae imputandum est, quum ad ipsum pertinuerit, ut tutorem in contrahendo adhibeat. l. 13. §. 2. de P. A. (6. 2.). l. 7. §. 2. de inst. act. (14. 3.). l. 27. de contr. empt. (18. 1.). l. 19. pr. de R. J. (50. 17.).

Deinde vere a. MDCCCLI. aliam Friderico - Guilelmam Berolinensem petii, in cujus cives a Rectore Magnifico Ill. Twesten receptus, nomen professus sum apud ordinis jureconsultorum Decanum maxime spectabilem Ill. Stahl. Hic per tria semestria docentes audivi:

- Ill. Rudorff jus pandectarum et hereditarium et processum civilem communem et Borussicum,
- Ill. Keller ab Ibice historiam juris Romani, encyclopaediam et methodologiam et processum civilem Romanum,
- Ill. Homeyer historiam imperii et juris Germanici, rem judiciariam Germanorum, jus privatum Germanicum et jus cambiale,
- Ill. Richter jus ecclesiasticum,
- Ill. Stahl jus matrimoniale et doctrinam et indolem partium, quae in republica et ecclesia extant,
- Cel. Gneist jus criminale, processum criminalem tum communem quum Borussicum et summa principia regiminis jure constituti secundum leges et consuetudines Angliae et Franciae,
- Ill. Casper medicinam forensem,
- Ill. Trendelenburg logicen,
- Cel. Hirsch historiam Germaniae inde ab anno 1806.

In explicandis et interpretandis fontibus juris Romani duces mihi erant Ill. Rudorff et Ill. Keller et in practicis medico-forensibus exercitationibus Ill. Casper.

Auctumno a. MDCCCLII in aliam Ruperto-Carolam Heidelbergensem me contuli, ubi a Prorectore Magnifico Ill. Hundeshagen civibus academicis adscriptus sum, unumque per semestre his adfui scholis:

- Ill. de Vangerov de jure pandectarum et hereditario,
- Ill. Mittermaier de processu criminali et de judiciis judicium juratorum. Idem me docuit artem referendi et defendendi et practicas in hac arte exercitationes gubernavit.

Ill. de Mohl de jure publico communi,

Exp. Marquardsen de jure gentium Europaeorum.

Tempore paschali hujus anni Gryphiam quum re-  
versus sim, Rector Magnificus Ill. Berndt in civium aca-  
demicorum et Decanus maxime spectabilis Ill. Wind-  
scheid in album juridicum me receperunt, ubi per hoc  
semestre aestivum me docuerunt

Ill. Nimeyer jus privatum Borussicum,

Ill. Beseler jus publicum Germanicum et jus feudale,

Ill. Pütter jus peregrinorum,

Cel. Haerberlin jus cambiale.

Ill. Windscheid in juris Romani fontibus interpretan-  
dis dux mihi fuit.

Quibus omnibus viris optime de me meritis gratias  
ago quam maximas semperque habebo.

Jam vero examine rigoroso nec non colloquio rite  
superatis spero fore ut, dissertatione thesibusque pu-  
blice defensis, summi in jure utroque honores in me  
conferantur.





# THESES.

## I.

*Analogia, quae dicitur, et materialis et formalis in rebus criminalibus plane est rejicienda.*

## II.

*Omnis lex poenalis, quae absolutam edicit poenam, vituperanda est.*

## III.

*Conditio existens non retrahitur.*

## IV.

*Heres pactitius, qui ei, cujus de hereditate agitur, superstes non est, jus suum in heredes non transmittit.*

## V.

*Laudare eos non possum, qui dicunt, verum debitorem, injuria judicis absolutum, debitorem naturalem remanere.*

## VI.

*Iudicium centumvirorum non prius originem cepisse puto, quam XXXV tribuum numero completo, h. e. non ante annum 513 u. c.*

513





